This is a digital copy of a book that was preserved for generations on library shelves before it was carefully scanned by Google as part of a project to make the world's books discoverable online.

It has survived long enough for the copyright to expire and the book to enter the public domain. A public domain book is one that was never subject to copyright or whose legal copyright term has expired. Whether a book is in the public domain may vary country to country. Public domain books are our gateways to the past, representing a wealth of history, culture and knowledge that's often difficult to discover.

Marks, notations and other marginalia present in the original volume will appear in this file - a reminder of this book's long journey from the publisher to a library and finally to you.

Usage guidelines

Google is proud to partner with libraries to digitize public domain materials and make them widely accessible. Public domain books belong to the public and we are merely their custodians. Nevertheless, this work is expensive, so in order to keep providing this resource, we have taken steps to prevent abuse by commercial parties, including placing technical restrictions on automated querying.

We also ask that you:

+ *Make non-commercial use of the files* We designed Google Book Search for use by individuals, and we request that you use these files for personal, non-commercial purposes.

+ *Refrain from automated querying* Do not send automated queries of any sort to Google's system: If you are conducting research on machine translation, optical character recognition or other areas where access to a large amount of text is helpful, please contact us. We encourage the use of public domain materials for these purposes and may be able to help.

+ *Maintain attribution* The Google "watermark" you see on each file is essential for informing people about this project and helping them find additional materials through Google Book Search. Please do not remove it.

+ *Keep it legal* Whatever your use, remember that you are responsible for ensuring that what you are doing is legal. Do not assume that just because we believe a book is in the public domain for users in the United States, that the work is also in the public domain for users in other countries. Whether a book is still in copyright varies from country to country, and we can't offer guidance on whether any specific use of any specific book is allowed. Please do not assume that a book's appearance in Google Book Search means it can be used in any manner anywhere in the world. Copyright infringement liability can be quite severe.

About Google Book Search

Google's mission is to organize the world's information and to make it universally accessible and useful. Google Book Search helps readers discover the world's books while helping authors and publishers reach new audiences. You can search through the full text of this book on the web at `http://books.google.com/`

Ll
20
367.9

L120.367.9

Harvard College Library

FROM

Prof. W. W. Goodwin



entire

Ll 20.367.9

QUAESTIONES LUCRETIANAE

VIRO PERILLUSTRI

GODOFREDO HERMANNO

GERMANORUM PHILOLOGORUN CONVENTUS HOC ANNO PRAESIDI

DIEM APPROPINQUANTEM

QUO ANTE HAEC X LUSTRA DOCENDI MUNUS IN UNIVERSITATE LIPSIENSI CAPESSIVIT

PIE AC REVERENTER GRATULATURUS

SCRIPSIT

IOANNES SIEBELIS

PHILOS. DR. GYMNASII HILDBURGHUSANI PRAECEPTOR SOCIETATIS GRAECAE SODALIS.

LIPSIAE

TYPIS STURMII ET KOPPEI.

MDCCCXLIV.

HARVARD COLLEGE
APR 5 1881
LIBRARY.

Prof. W. W. Goodwin.

Quatuor anni praeterierunt, posteaquam TUAM, VIR PERILLUSTRIS, institutionem reliqui, cui quantum ego debeam dicere non possum. Per illud tempus nonnumquam quidem ut in itinere et transitu TE convenirem ac TEcum colloquerer contigit; sed quae his annis tractarem et quo studia mea tenderent, eorum nullum jam ut olim specimen TIBI proponere potui. Tale velim specimen haec sit quam manibus jam tenes scriptiuncula, quae ut benigne a TE excipiatur vehementer rogo atque opto. At gravior causa me impulit ut nunc ipsum has TIBI chartas traderem. Gratulaturus adsum diem, qui instat jam omnium candidissimus cunctisque qui bonis litteris gaudent laetissimus, eum diem, quo primo ante hos quinquaginta annos docendi munus in Universitate Lipsiensi adiisti. Ex quo inde tempore quanta et quam innumerabilia TUA sint in litteras merita non puto meum esse praedicare nec satis digne ego id facere possem. In omnium enim ore sunt ac semper erunt, quum monumentum iis TIBI exegeris aere perennius neque um-

quam interiturum. Illud unum, VIR PERILLUSTRIS, significare TIBI cupio, summam erga TE pietatem ac reverentiam gratissimosque animi sensus, quibus colunt TE atque appellant, quicumque TE norunt aut per longum illud temporis spatium in suscipiendis litterarum et artium studiis TE auctore atque magistro usi sunt, a me quoque TIBI et servata esse et per omnem vitam servatum iri. Deus autem faxit, ut eodem quo soles esse animi et corporis vigore atque alacritate, vivere pergas ad extremos usque quos natura hominibus posuit senectutis fines.

Scripsi Hildburghusae
m. Sept. a. MDCCCXLIV.

IOANNES SIEBELIS.

De Lucretii carminis conditione, quale nunc recentiorum editorum opera exstat, nemo nostro tempore rectius judicavit, quam Ioannes Nicolaus Madvigius, vir summae eruditionis ingeniique sagacissimi, in libello academico anni 1832. *de aliquot lacunis codicum Lucretii* inscripto, quem prius volumen Opusculorum Academicorum repetitum exhibet. Dixi de eo quamvis parvo at magni momenti libello in scriptione, quae ante hos duos fere annos a me composita casu delituit, his autem ipsis diebus aut proditura est aut prodiit jam in Bergkii et Caesaris diurnis antiquariis. Quare quae ibi legi poterunt de editorum meritis aut peccatis, et quos codices sequi quos spernere debeamus, nunc non repetam, paucis tantum comprehensurus, quae ei qui in tractando Lucretio operam ac studium posuerit observanda sint, si errores, quibus recentiores interpretes magis paene quam priores obstricti tenentur, vitare velit. Ante omnia tota Lucretii et omnino Epicuri doctrina tenenda est animo et attendendum ad rectum sententiarum inter se nexum et consecutionem; quod quoniam saepe numero neglexerunt, non numquam factum est, ut aut vitiosa putarent et corrigerent, quae integra sunt ac libera ab omni corruptione, aut contra quae re vera insunt vitia plane non sentirent, aut denique, etiamsi sentirent, emendare tamen non possent. Deinde multo majore quam nunc fecerunt diligentia inquirendum est in Lucretii morem dicendi, in voces quibus usus sit aut non sit, in earum formas atque rationes, in artem qua versus composuerit; quae omnia bene perspecta, quamvis multis pusilla esse videantur, certissimam tamen interpretandi atque emendandi viam ostendere neminem peritiorem fugit, eademque in Lucretio paene intacta

relicta sunt. Plurimum autem poetae nocuit, quod in verbis ejus constituendis non certam rationem habuerunt praestantissimorum codicum, sed ex arbitrio si forte placuit, etiam deteriores libros secuti sunt, qui omnis generis corruptione scatent. A tali arbitrio, qui genuinum Lucretii opus restituere conatur, abstinere debet et, quantum potest, redire ad certam ac simplicem antiquissimorum codicum normam: quod sane non omnibus locis potest fieri, quoniam hi quoque libri non numquam corrupti et mutilati sunt. Itaque talibus in locis quum conjectura opus sit, certe non tanta licentia et quasi libidine evagandum est nec quaevis codicum lectio pari pretio existimanda in qua conjectura niti possit, quemadmodum saepissime factum videmus; sed tum quoque meliorum tantum codicum arcte premenda sunt vestigia, quum fere nusquam sine errandi periculo deserantur. Ubi autem de illorum lectione non satis constat, quod saepius accidit, plerumque satius erit accuratiores collationes expectare, quam conjecturis faciendis operam perdere. Ad haec artis criticae principia quum in Lucretio laborandum esse censeam, ex ipso quod jam editurus sum specimine homines docti judicent, si quid fructus inde percipi possit.

I.

Exordium carminis insigne est cum propter eximiam suavitatem, qua poeta Venerem invocat, ut sibi in scribendis versibus socia sit, tum propter orationis vim atque gravitatem, qua in superstitiosas religiones invehitur Epicuri divino ingenio tandem sublatas. Alterum allicere debebat Memmium, cui totum opus inscriptum est, alterum deterrere poterat. Quapropter statim exemplo Aulidensis sacrificii ostendit, quantum jam malorum religio suaserit, simulque ostendit, fabulae a vatibus inventae quibus terroribus humana pectora occupare soleant. Hoc alterum sic dicit v. 103.

Tutemet a nobis jam quovis tempore vatum
Terriloquis victus dictis desciscere quaeres:

monumenta virorum sibi quaecumque sunt, senectutem quaerere credas. Exemplorum, ubi quaerendi verbo a Lucretio infinitivus adjunctus sit, Eichstadii index magnum numerum subministrat.

III.

Totus paene liber secundus quum in natura primordiorum sive atomorum accuratius definienda versetur, non minima ejus disputationis pars de illorum agit motu, cujus ab initio duo genera constituuntur. Versus quibus ea continentur, 82. sqq. in optimis et antiquissimis codicibus hoc modo corrupti sunt:

Nam quoniam per inane vagantur, cuncta necesse est
Aut gravitate sua ferri primordia rerum
Aut ictu forte alterius: nam cita saepe
Obvia conflixere, fit ut divorsa repente
Dissiliant; neque enim mirum, durissima quae sint
Ponderibus solidis, neque quidquam a tergibus obstet.

Lacunam in verbis *nam cita saepe* recentiores libri variis modis expleverunt. Quidam P[illegible] codd. *percita;* alii *cita superne,* unde vulgo ante Wakefieldium legebatur: *nam cita superne Obvia quom flixere,* cui rationi praeter verbi simplicis *fligendi* insolentiam etiam id obstare videtur, quod Lucretius in simplici participio *citus* litteram *i* semper corripit. 1, 386. *Si cita dissiliant.* 996. *Ex infinito cita corpore.* 4, 546. *reboat raucum retro cita barbara bombum.* Cant. *concita,* unde Wak. *nam concita saepe Obvia quom flixere,* simul in adnotatione e conjectura meliorem lectionem adjiciens: *nam quom cita saepe Obvia conflixere,* quam Forb. recepit Si tamen quaerimus, quomodo illa lacuna in libris orta sit, verisimilius est Lucretium scripsisse: *nam si cita saepe Obvia conflixere,* quoniam *si* sequente *cita* facillime omitti potuit. Similis locus 1, 378: *duo de concurso corpora lata Si cita dissiliant.* Ceterum Wak. et Forb. miram, hujusmodi proposuerunt distinctionem: *nam, quom cita, saepe, Obvia conflixere, fit;* scilicet ne quis *saepe cita* conjungeret, sed ut potius *saepe fit* copularentur. Verum neque

hoc facile per verborum collocationem licet, neque illud quod rejiciunt falsum est. Ita enim locum intelligas: si, saepe obvia cita, conflixere, h. e. si, quod saepius accidit, obvia cita conflixere, nobis: wenn sie, oftmals einander begegnend, zusammengestossen sind. De mala Forbigeri conjectura: *quom cita semper* satius est tacuisse. Alteram corruptionem omnibus codicibus communem: *neque quidquam a tergibus obstet*, quum Lamb. conjectura: *a tergis obstet* sanare vellet, omnium laesit elegantiorum judicum aures. Neque vero magis ego probare possum Isaaci Vossii commentum: *a tergo ibus obstet.* Offendor enim non solum forma *ibus*, quae Lucretii certe aetate plane obsoleta fuit, sed praecipue longae vocalis sequente brevi elisione, quam praeter Ennium, Vergilium, Tibullum, Propertium, Ovidium, Horatium in epistolis Lucretium quoque rarius sibi permisisse Hauptius in Observ. crit p. 15. sqq luculenter ostendit. Qua in re hoc maxime memoratu dignum est, quod ex diligentissima illa exemplorum collectione facile cognoscitur, perpaucą ex omni numero esse, in quibus substantivorum terminationes ita elidantur. Atque apud Lucretium quidem nullum ejusmodi exemplum invenitur nec magis apud Tibullum; duo apud Propertium in nominibus propriis 3, 28, 19. *Ino etiam*, 4, 2, 7. *Baccho et Apolline;* duo etiam apud Vergilium A. 10, 704. *genitori Amyco* 11, 680. *Pugnatori operit.* Semel talem elisionem Ovidius admisit Met. 4, 228. *Mundi oculus*, semel Horatius in Ep. 2. 6, 71. *Sermo oritur.* Paulo minore cura ea in re Lucilius et Catullus versati sunt. Non autem casui hoc, sed arti cuidam poetarum tribuendum esse, magis etiam apparebit, si paulo infra in alio elisionis genere similem videbimus a Lucretio substantivorum rationem habitam fuisse. Quodsi inde sequitur, illam Vossii conjecturam veram esse non posse, restat, ut proferam quod ipse invenerim Nisi fallor Lucretius scripsit: *neque quidquam aliter quibus obstet*, quae vocabulorum mutatio minus violenta videtur, si omissa littera *u*, quod praecedente *q* fieri solebat, *aliterqibus* casu in unam vocem junctum fuisse fingimus. Sententia haec est: nec

Quippe etenim quam multa tibi jam fingere possum
Somnia, quae vitae rationes vortere possint
Fortunasque tuas omneis turbare timore;
Et merito: nam si certam finem esse viderent
Aerumnarum homines, aliqua ratione valerent
Religionibus atque minis obsistere vatum:
Nunc ratio nulla est restandi, nulla facultas,
Aeternas quoniam poenas in morte timendum.

Qui locus ita comparatus est, ut hoc modo a Lucretio scribi non potuerit. *Vatum terriloqua dicta* eorum sunt fabulae de Dis totius mundi regnatoribus, de Orco, de poenis apud inferos et similia. Haec dicta, inquit poeta, ita te terrebunt, ut a me desciscere quaeras; quoniam ego permulta tibi somnia fingere possum, quae omnem tuam vitam timore turbent. Et jure meritoque mea te inventa ita turbabunt, quum nulla sit ratio, qua homines vatum minis ac religionibus obsistere possint, quippe qui animae naturam ignorantes aeternas in morte poenas timeant. Quae jam demonstrabo falsa esse. Primum Lucretius suam et Epicuri doctrinam numquam somnia appellasset, quae omnem vitam timore turbare possent, ne ex Memmii quidem mente, ut hic factum videtur. Nam qui modo tali animi ardore Epicurum praedicavit, quod acri virtute et divino veritatis amore incensus superstitiones evertere, naturae claustra effringere et omni immenso peragrato insignis victor redire potuerit, cujus pedibus subjecti religionis terrores jam obterantur: hic statim post de eadem doctrina ne ex alterius quidem mente cum tali contemtu loqui potuit, nisi illa omnia frustra se dixisse putaret. Ut vero concedamus Lucretium tamen id dicere potuisse, tum certe falsam Memmii suspicionem impugnare debebat; quod non modo non fecit, sed confirmavit eam quum tamquam jus sibi vindicaverit, ut ipse sicut ceteri vates hominum animos minis ac religionibus obstringere posset. Idem igitur qui paullo ante se professus est homines ab religionum metu liberaturum esse, qui modo verbis *vatum terriloquis victus dictis a nobis desciscere quaeres* vatibus se

opposuit, qui numquam non illos vates eorumque errores ut vanos insequitur: idem nunc ipse se cum istis vatibus miscet, iisque rursus se adnumerat. Frustra quaeris quomodo haec inter se congruant. Ac Wakef. quidem veram saltem loci sententiam qualis esse debeat perspexit, quum mentem poetae sic explicaverit: „Etiam tu ipse ad omnem viae flexum conaberis effugere veritatis vim larvalibus religiosorum fabulis devictus; nam multae sunt et vitae rationes universas ab imo fundo turbare efficaces, adeo ut bene beateque vivere nullo modo liceat. Quid mirum? quum in crassissima caligine ignorantiae versentur homines, a verae philosophiae luce longissime dissiti.“ Post hanc, ut arbitror, veram expositionem, quae tamen ex verbis ut leguntur nullo pacto extricari potest, mirari sane liceat, Wakefieldium aliis quidem in locis ad mutationes procliviorem hic in verbis ipsis non haesisse et Bentleji conjecturam ut temerariam rejecisse, qua ea ipsa quam Wakef. requirit sententia efficitur. Postquam enim jam in Ald. 2. correctum fuit: *quam multa tibi jam fingere possunt Somnia* ubi *jam* amplius ferri nequit, Bentl. *Quippe etenim qui multa tibi confingere possunt Somnia* scribere proposuit, ut *qui confingere possunt* ad vates referretur. Quae emendatio quamvis bona ad loci sententiam parum tamen probabilis est, cum propter nimias mutationes, tum vero ideo, quod Lucret. etsi particula *quippe* saepissime variis modis usus est, semel tantum, si recte vidi, in toto opere ei adjunxit pronomen relativum, 3, 1075. *Quippe feris nihilo melius qui sentiat esse.* Non attenderunt autem homines docti ad lectionis varietatem in optimo Lugd. 2. et aliquot Lambini codd. servatam, *me* pro *jam* praebentibus, pro quo facili correctione *nec* scribi poterit. Quo facto *Quippe etenim quam multa tibi, nec fingere possum, Somnia* significabit: quam multa enim tibi somnia sunt, ne effingere quidem possum animo. Idem usus particulae *nec* apud Lucretium invenitur 6, 1212. *Atque etiam quosdam cepere oblivia rerum Cunctarum, neque se possent cognoscere ut ipsi,* h. e. ut ne se quidem ipsi cognoscere possent. Alia res est

Resipienda est haec coniectura, et cum Bergkio scribendum: „multa tibimet fingere possis.“
Ipsius enim versuum plurimi errores deprehenduntur, [illegible] errores

1, 1170. ubi nunc quidem in editionibus legitur:

Haec si pernosces parva perductus opella,
Namque alid ex alio clarescet, nec tibi caeca
Nox iter eripiet quin ultima naturai
Pervideas: ita res accendent lumina rebus.

cum omnibus sane ut videtur libris, uno excepto Lugd. 2. qui *Haec sic pernosces* servavit. Quod ipsum restituendum videtur non solum propter ejus libri auctoritatem, sed quod altera illa ratio non futurum simplex *pernosces*, sed fut. exactum postulat; verba autem *namque alid ex alio clarescet* rectius se habent post affirmativam quam post hypotheticam sententiam. Nec recte 2, 23. *Gratius interdum neque natura ipsa requirit* ab interpretibus vulgo explicatur: ne natura ipsa quidem gratius interdum requirit; de quo loco paulo infra plura dicenda sunt. Sufficit tamen jam unus ille Lucretii locus ad infirmandam quodammodo Madvigii sententiam, quam ille in Exc. 3. ad Cic. de Fin. p. 816 seqq. proposuit: *nec* significatione *ne-quidem* apud Ciceronis aequales nondum inveniri, apparere demum apud inferioris aetatis scriptores, qui post Augustum fuerunt. Quam rem si accuratius spectaverimus, videbimus nisi fallor, dicendum potius fuisse, istiusmodi *nec* ab optimis scriptoribus raro quidem usurpari sed usurpari tamen. De Horatio jam ipse Madv. id concessit, apud quem Sat. 2, 3, 262. *Nec nunc, quum me vocat ultro, Accedam?* legere mavult, quam quod in optimis libris est *ne nunc*, vulgo *ne nunc quidem* explicatum. Etenim simplex *ne* significare posse *ne-quidem*, ut multi homines docti statuerunt, prorsus negavit ad l. l. 1, 11, 39. In Vergilii loco Ecl. 3, 102. ineptissimam contendit sententiam esse, si legatur *His certe neque amor causa est*, ut sit: ne amor quidem; quare Stephani et Heinsii conjecturam amplectitur: *Hi certe, neque amor causa est, vix ossibus haerent.* At si totum locum perpenderis, qui in omnibus libris sic legitur:

His certe neque amor causa est: vix ossibus haerent.
Nescio quis teneros oculus mihi fascinat agnos;

manifestum erit Menalcam hoc dicere: Meis certe ne amor

quidem causa marcescendi est ut tuis, sed multo turpior causa subest, scilicet fascinatio; vix enim ossibus haerent. Recte igitur Voss. *Diesen fürwahr ist auch Liebe nicht Schuld.* Illud autem in universum moneo, si omnibus paene locis illud *nec* interpretatus sum *ne-quidem*, hoc non ita a me factum esse, ut putarem *nec* plane idem esse ac *ne-quidem*, quum ad illam notionem prope tantum accedat; propius tamen nostrum *auch nicht*, quo Voss. usus est. Alius Vergilii locus Ecl. 9, 6. *Hos illi — quod nec vertat bene — mittimus haedos* fugit Madvigium, is quoque non aliter explicandus quam: quod ne bene vertat quidem. His subjungere liceat duos ex Ciri locos quamvis incerti auctoris opere, 238. *Ut scelere infando, quod nec sinit Adrastea, Laedere utrumque uno studeas errore parentem* i. e. quod ne Adrastea quidem sinit; 269. *Cui Parcae tribuere nec ullo vulnere laedi* pro: ne ullo quidem vulnere. Scio et hos Ciris et alterum Eclogarum locum a Wagnero Quaest. Verg. XXXII. p. 532. et 536. ita intelligi, ut *nec* pro simplici *non*, *nec ullus* pro *nullus* dictum sit. Sed de tali particulae *nec* usu quamquam a multis grammaticis traditur (Ramshorn. p. 525.) magnopere tamen dubitandum est; dubitavit etiam Kritz. ad Sall. Jug. 1, 44, 5. Ipsam quaestionem quoniam longior est in aliud tempus differo. Porro, ut poetas mittamus, in toto Livii opere Madv. unum locum inveniri putat, ubi *nec* sit *ne-quidem:* 31, 22. *non modo Sunium superare, sed nec extra fretum Euripi committere aperto mari se audebant*, ibique quum aliquot codd. *ne* pro *nec* praebeant legendum esse censet *ne extra fretum Euripi quidem.* Quod minime necessarium est, si quidem ex aliis Livii locis demonstrari potest, hujusmodi *nec* illi non prorsus alienum fuisse. 1, 25. *Prius itaque quam alter, qui nec procul aberat, consequi posset, et alterum Curiatium conficit*, ubi ex Ramshorni et Schelleri sententia *nec* idem est ac *non.* Sed Livius hoc dicit: qui ne procul quidem aberat, et sic eo facilius alterum adjuvare potuisset. 3, 52. *quum praesertim nec nos temperemus imperiis* h. e. quum etiam nos non temperemus imperiis. 40, 20. *Maxime ab omni mentione*

et contagione Romanorum abstinet, ut neque scribi sibi vellet, quod manifesto pro: *ut ne scribi quidem sibi vellet*, positum est. Post quae exempla etiam in primo illo loco nihil corrigendum esse apparet. Atque haec de Livio; denique de Cicerone videndum est, cujus plurimos sane locos, qui vulgo referuntur, Madv. melius mihi restituisse videtur; de nonnullis valde dubitaverim. Nam nescio utrum casu an consilio sit factum, ut non commemoraverit memorabilem certe locum de Legg. 2, 9, 22. *Sacrum commissum, quod neque expiari poterit, impie commissum esto; quod expiari poterit, publici sacerdotes expianto.* Ramsh. hic quoque *neque* pro *non* accipit; immo explica: quod ne expiari quidem, h. e. quod neque alio modo procurari, neque etiam expiari poterit. Deinde non consentio de Topic. 23. *ut si in urbe fines non regantur, nec aqua in urbe arceatur*, ubi Madv. contra omnes libros *ne aqua quidem* scribere mavult. Nec probo denique, quod Acad. 2, 135: *Sapiensne non timeat? nec, si patria deleatur? Non doleat? nec, si deleta sit?* audaciore verborum mutatione scripsit: *Sapiensne non timeat, ne patria deleatur? non doleat, si deleta sit?* praesertim quum falsa sint, quae adnotavit: „dicendum erat, quid *ne* fieret, sapienti timere per Stoicos non liceret, non quid *si* fieret; nam si fit, dolet, non timet". Hac enim ratione Graecis eo tempore, quo Xerxes patriam vastavit, non amplius timere, sed dolere tantum de patria licuisset. Haec sufficiant, quamquam fortasse non tacendus erat locus Terent. Eun. 1, 2, 119. ubi Bentl. ex cod. Vat. recepit: *Neque hoc tacebit Parmeno*, quum ante eum ex aliis codd. ederetur: *Ne hoc quidem tacebit.* Spero enim jam apertum fore, etiam melioris aevi scriptoribus usum particulae *nec*, de quo loquimur, non prorsus inauditum esse, ut in Lucretii loco recte scribi possit: *nec fingere possum.*

II.

Quem in priore quaestione breviter tantum attigimus Lucretii versum, polliciti paulo post ad eum nos reversuros

esse, is secundi libri initio legitur, ubi, ut plerumque in librorum exordiis Lucretii Musa altiorem spiritum sumsit, pulcherrimis versibus beata sapientis viri quies celebratur, qua veluti ex edito templo humiles humani generis curas despiciat. Nihil enim praeter omnis doloris remotionem a natura ad summam voluptatem requiri, neque splendidissimum sumtum qualis apud Phaeacum regem conspicuus fuerit, beatiores reddere homines, quam simplices in gramine sub arboris umbra et ad fontis aquam prostratorum epulas. Verba Lucretii v. 20. haec sunt:

Ergo corpoream ad naturam pauca videmus
Esse opus omnino, quae demant cumque dolorem,
Delicias quoque uti multas substernere possint;
Gratius interdum neque natura ipsa requirit:
Si non aurea sunt juvenum simulacra per aedeis,
Lampadas igniferas manibus retinentia dextris,
Lumina nocturnis epulis ut suppeditentur;
Nec domus argento fulget auroque renidet,
Nec citharae reboant laqueata auratique templa:
Quom tamen inter se prostrati in gramine molli
Propter aquae rivum sub ramis arboris altae,
Non magnis opibus jocunde corpora curant.

Hoc quidem plerique editores recte intellexerunt, versum: *Delicias quoque uti multas substernere possint* ad antecedentia referendum esse. Nam quae inde sententia oritur: ea quae dolorem demant, simul hominem multa voluptate afficere, bene congruit cum Epicuri dogmate apud Ciceronem de Fin. 1, 11, 37. *Sic in omni re doloris amotio successionem efficit voluptatis.* Ib. § 38. *illud enim ipsum, quum omni dolore careret, non modo voluptatem esse, verum etiam summam voluptatem.* Sed eo quod sequentem versum vulgo interpretantur: interdum ne natura quidem ipsa gratius requirit, cogunt, ut totius loci sententiam in hunc modum conformemus: gratius quam doloris remotionem interdum ne natura quidem ipsa requirit: etiamsi non sint aurea juvenum simulacra cet. Quae ut taceam de simplici *si* pro *etiamsi* posito, propter duas potissimum causas a Lucretio

dicta esse nequeunt. Prior haec est, quod postquam v. 17. modo contendit: *Nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, quom Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur Jucundo sensu cura semota metuque*, ipse sibi repugnaret, si jam diceret: interdum tantum naturam nihil gratius quam doloris amotionem desiderare. Deinde vero nulla idonea ratio est, cur natura majore aliqua vi hic efferatur, quemadmodum *nec* pro *ne-quidem* posito fieret; quum simplex negatio sufficiat. Eichst. autem et Forb. qui ad priorum editorum exemplum post *requirit* punctum posuerunt, quam deficiente apodosi verborum conjunctionem sibi cogitaverint, ego non perspicio. Nam veteres illi ut apodosin sibi pararent v. 29. pro *quom tamen* aut cum Gifanio *quin tamen*, aut cum Lambino *attamen* scripserunt; quorum neutrum ab Eichstadio aut Forbigero factum est. Omnes autem neglexerunt, quod jam diu Ald. 2. meliore interpunctione rectam interpretandi viam demonstravit, quum praeter punctum post *possint* v. 22. positum etiam post *interdum* inciderit. Unde hic sententiarum nexus nascitur: gratius interdum est, si non aurea sunt simulacra cet., neque natura ipsa earum rerum desiderium sentit: quom etiamsi splendidus ille apparatus absit, jucunde tamen non magnis opibus corpora curant. Hactenus de totius loci sententia, quibus pauca de verbis *quae demant cumque dolorem* subjungam. Nam cum plerisque editoribus facio, qui quamquam Lamb. ex Marulli nisi fallor conjectura *quemque* scribere maluit, *cumque* retinuerunt. Desidero tamen loci explicationem nec probare possum Handii in Turs. Vol. 3. p. 174. et Orellii ad Hor. od. 1, 32, 15. judicium, qui illum in parvo eorum numero habent, ubi particula *cumque* absolute usurpata sit. Omnino neuter illorum quaestionem de tam singulari particulae usu satis accurate mihi videtur instituisse. Vulgaris enim loquendi consuetudo quum hoc postulet, ut *cumque* in enunciatis relativis ponatur, aut ipsi relativo vel particulae relativae conjunctum, aut per tmesin ab iis disjunctum, ante omnia ea exempla a reliquis disparari debebant, ubi in alio atque in relativo enunciato

positum inveniatur. Ejusmodi locos quatuor quidem Hand. commemorat; at Ciceronis illum de Legg. 3, 3, 9. Orell. optima conjectura sanavit, *equitatumque qui regat* scribens; alius ex codice Theodos. 12, 6, 32. allatus: *Aurum sive argentum cumque a possessore confertur, arcarius vel susceptor accipiat,* si totum eum consideres, justam orationis conformationem omnino non admittit, nisi cum Hugone ex cod. Just. *quodcumque a possessore confertur* legas. Nulli igitur nisi duo relinquuntur loci, alter Horatii od. 1, 32, 15. alter Lucretii 5, 313., quibus hoc commune est, quod in utroque *cumque* post pronomen subst. legitur. Horatii ad lyram verba notissima sunt: *mihi cumque salve Rite vocanti;* Lucret. solidissima quaeque temporis vires sentire et longo aevo putrescere cum multis aliis tum hoc docet exemplo:

Denique non monimenta virum dilapsa videmus?
Quaerere proporro sibi cumque senescere credas.

In quorum locorum interpretatione Hand. sibi non constat, *cumque* apud Hor. cum Schol. *quotiescumque, quandocumque te vocavero,* apud Lucr. *quoquo modo* explicans. Quod igitur ad Horatium attinet, Orell. acute observat: „si *cumque* esset *quotiescumque,* poeta dicere videretur, interdum fieri etiam posse, ut lyram s. Musam rite invocaturus non sit.“ Quem vero ipse particulae significatum statuit: *ὁπωσδήποτε, quocumque, quoquo modo,* is propterea probari nequit, quoniam, ubi poeta dixit: *quoquo modo mihi salve,* non idem conditionem addere debebat *rite vocanti.* In Lucretii autem versu utrumque pariter ineptum esset, sive quoquo modo sive quoquo tempore monumenta dicerentur senectutem sibi quaerere. Quae praeterea ab Handio et Orellio commemorantur exempla, omnia ex Lucretii carmine depromta atque ita comparata sunt, ut *cumque* in relativa aut relativae cognata enunciatione collocatum sit. Verum ut statim profitear, nullum ex omni numero reperio, ubi jure affirmari possit, *cumque* contra vulgarem dicendi morem ad aliud quid, quam ad ipsum pronomen vel particulam relat. pertinere. Sunt autem hi loci 2, 113. *Contemplator*

enim, quom solis lumina cumque Inserti fundunt radii per opaca domorum. Sic optimi codd. Gott. Lugd. 1. 2., non *insertim — radios,* quod Eichst. et Forb. sine idonea causa receperunt. Sententia haec est: quandocumque sive quocumque tempore inserti radii per opaca domorum solis lumina fundunt; ut *cumque* ad *quum* pertineat, cujus particulae natura a tali conjunctione non magis abhorret, quam quando, quoties, quomodo. Nam ut veterem pronominis relat. accusativum concedendum est *quum* particulis relativis accensendum esse. Et quamvis Romanos revera *quumcumque* uno vocabulo junctum dixisse ipse propter ingratum sonum dubitaverim; tamen ubi *cumque* in eodem enunciato positum fuerit, non poterit non ad particulam *quum* referri, sicut in enunciatis a particulis quando, quoties, quomodo incipientibus *cumque* ad eas particulas referendum est. Qui sequitur locus 3, 548. *velut aures atque oculi sunt Atque alii sensus, qui vitam cumque gubernant* a solo Handio huc trahitur, cujus tamen adnotationem non intelligo. Fortasse eo offenditur, quod auribus atque oculis appellatis reliquorum sensuum numerus certus ac definitus est. At quemadmodum nemo reprehendet: aures, oculi omnesque alii sensus; haud minus recte dictum esse arbitror: *alii sensus quicumque vitam gubernant.* Nec rectius judicavit Hand. de duobus aliis locis, quorum alter 6, 1016. omnino intelligi nequit, nisi conjunxeris: *undecumque locus vacefit;* in altero autem 4, 737. *Omne genus quoniam passim simulacra feruntur, Partim sponte sua quae fiunt aere in ipso, Partim quae variis ab rebus cumque recedunt,* id tantum quaeri potest, cur poeta post simplex *quae* prioris enuntiati in altero *quaecumque* scripserit. Cujus rei causa haec est, quod hujus alterius generis simulacra, quae ab rebus ipsis recedunt, longe plurima ac potissima sunt; quare de iis multo maxima pars totius quarti libri agit. Verba igitur: *quaecumque variis ab rebus recedunt* hoc significant: omnis eorum multitudo, quae variis ab rebus recedunt. Deinde Orell. commemorat 5, 583. *ut est oris extremis cumque notata (luna),* ubi necessario *utcumque* jungi debet, ut sit: quo-

cumque modo oris extremis luna notata est. Sequentis loci 6, 84. scriptura adhuc incerta est, quoniam de melioribus libris nihil constat. Wak. cum omnibus sane alterius classis codicibus scripsit: *Sunt tempestates et fulmina clara canenda, Quid faciant et qua de causa cumque ferantur;* ante eum vulgo edebatur *quaeque.* Sed *quacumque de causa* sine dubio apte hic dici potuit, praesertim si memineris, Lucretium plerumque plures, interdum adeo permultas rationes invenisse, quibus singula meteora explicari possent, simulque verae eligendae optionem dedisse. Hand. ipse vertit: *weshalb irgend,* nihilominus *cumque* absolute positum esse censens. Tandem revertimur ad eum locum, unde profecti sumus, ubi si verba: *quae demant cumque dolorem* significarent: *was den Schmerz überhaupt benehme,* ut Hand. reddit, melius a Lucretio scriptum foret *quemque dolorem.* Sed *cumque* non magis hic ab relativo sejungendum est, quam in ceteris de quibus vidimus locis. *Pauca, quaecumque* sane insolentius dictum videri potest; verum illa quamvis pauca, quae magnifico vitae apparatui opponuntur, multas tamen et varias res comprehendunt, quae etiam in simplici et angusta vita minime deesse debent, nisi inde dolor sive molestum illarum rerum desiderium oriturum sit. Quare omnis earum summa bene comprehenditur verbis: *quaecumque demant dolorem.* Haec sunt enunciatorum relativorum exempla, quibus particulae *cumque* absolutum usum vindicare studuerunt, quae tamen a reliquis locis, ubi *cumque* ab relativo per tmesin disjunctum est, revera nihil differunt. Id quod magis apparebit collatis ejusdem tmesis apud Lucretium exemplis, de quibus nemo umquam dubitavit, quin particula ibi ad relativum pertineat; unde simul cognosci potest, quam usitata illi fuerit ea loquendi ratio. 2, 404. *quae amara atque aspera cumque videntur.* 865. *quae sentire videmus cumque.* 3, 953. *quae fructus cumque es.* 1088. *Aetas post mortem, quae restat cumque.* 4, 248. 282. *Aera, qui inter se cumque est oculosque locatus.* 871. *quae loca cumque Poscunt humorem.* 5, 290. *qua nimbi cumque feruntur.* 567. *quibus e spatiis*

cumque ignes lumina possunt Allicere. 6, 19. *Quae collata foris et commoda cumque venirent.* 343. *quae sint illius semina cumque.* 960. *quae jaciuntur Corpora cumque ab rebus.* 1003. *Inter qui lapidem ferrumque est cumque locatus.* 1024. *qui post est cumque locatus Aer.* Etiam 2, 71. restituendum est, *quae decedunt corpora cumque,* ut olim jam in vulgatis editionibus erat; quoniam quod Haverc. in nota crit. ad 2, 21. dixit, posteriores autem editores fugit, Lugd. 2. Bodl. pariter hic atque illic *cumque* servaverunt. Itaque quum in omnibus enunciatis relativis vis et natura particula *cumque* ea esse appareat, ut numquam absolute ponatur, sed semper se acclinet ad relativum pronomen aut particulam, iisque insitam aut rei aut personae, aut temporis, aut modi notionem generaliorem reddat h. e. omnia quae ad id genus pertineant, comprehendat; de duobus illis exemplis, ubi *cumque* in alio atque in relativo enunciato positum est, jure mihi concludere videor, in iis quoque particulam non absolute positam esse, sed pari modo ad certum enunciati vocabulum inclinare, cujus notio inde generalior fiat. Neque vero casu factum esse videtur, ut in utroque *cumque* post pronomen personale locum teneat, quum in utroque sententia postulet, ut ad illud pronomen referatur. Quare in Horatii loco *mihi cumque salve* explico: mihi, quicumque, sive qualiscumque sum, salve: quae modestior locutio pulchre poetam decet, qui lyram modo his nominibus appellavit: *O decus Phoebi et dapibus supremi Grata testudo Jovis.* Nec minus apte Lucret. *sibi cumque* dixit, ut significaret: monumenta sibi, quaecumque sunt, senescere quaerunt; quum monumenta tam diversi generis et materiae esse soleant. Verum praeter illud *cumque* id ipsum hic interpretes vexavit, quod virorum monumenta quaerere sibi senescere sive senectutem dicuntur. Exstat igitur numerus conjecturarum, quas commemorare ac refutare nihil amplius attinet; Lamb. adeo, paulo acrior ut solet, totum versum ejiciendum censuit. Aliter autem nisi fallor homines docti judicassent, si melius attendissent ad particulam *proporro,* quae ut otiosa ac

nullius momenti ab iis neglecta est. Lucret. ea particula, quae quantum equidem scio apud alios scriptores non reperitur, quinquies omnino usus est; et quamquam additum *pro* vix aliud quid efficere potest, nisi ut vim particulae *porro* aliquanto augeat, ut fere significet *porro eadem via* sive *ratione;* admodum tamen memorabilis est certa ac constans ratio, qua poeta illud proporro adhibuit. Ubique enim sententia postulat, ut series sive ut ita dicam progressio quaedam cogitetur, cujus in altero membro prioris membri praedicatum porro cum alio subjecto jungatur, quod tamen aliquo modo ad prius subjectum pertineat. Exempla rem facilius illustrabunt: 2, 973,

Denique uti possint sentire animalia quaeque,
Principiis si jam est sensus tribuendus eorum;
Quid? genus humanum propritim de quibus auctum est,
Scilicet et visu tremulo concussa cachinnant,
Et lacrumis spargunt rorantibus ora genasque,
Multaque de rerum mixtura dicere callent,
Et sibi proporro quae sint primordia quaerunt.

Plena sententia est: ut homines quaerunt, quae sibi primordia sint, ita ipsa e quibus homines constant primordia eadem porro ratione quaerunt, quae sibi primordia sint: 3, 275. *Atque anima est animae proporro totius ipsa.* Sermo est de subtilissima illa et incognita natura, quae simul cum aere, aura et vapore animum nostrum faciat, ea tamen conditione, ut ipsa potissima totius animi pars sit, omni motu ab ea exordium sumente. Dicit igitur Lucretius: ut id quod animum sive animam nostram appellamus, anima est nostri corporis, eadem porro ratione illa subtilissima natura anima est totius animae. Quae sententia statim v. 281. repetitur: *atque animae quasi totius ipsa Proporro est anima et dominatur corpore toto.* 4, 891. *Inde ea (anima) proporro corpus ferit,* h. e. ut animus animam feriit atque commovit, anima eadem porro ratione corpus ferit. Hinc sequitur etiam eum de quo agimus locum simili modo explicandum esse; nec obscura est ejus sententia. Ut viri ipsi senuerunt, inquit poeta, eadem porro ratione

mirum hoc fieri in iis quae durissima sint ponderibus solidis, nec quibus quidquam alio modo obstet. Namque ex una parte obstat corpus quocum conflixerunt, vel potius ictus vis, quem inde acceperunt, ex aliis partibus aut alio modo nihil obstat. Melius autem comma delebitur, quo vulgo verba: *durissima quae sunt Ponderibus solidis* separantur, quoniam solida pondera in primordiis causa duritiei sunt.

Duplex igitur motus est primordiorum, unus qui eorum gravitate sive pondere, alter qui ictu externo fit, si conflicta inter se passim dissiliunt. Verum ne ictus quidem ille nasceretur, nisi tertia praeterea motus ratio accederet. Nam primum pondera non obliqua per inane meare possunt, sed recta linea deorsum feruntur; cf. 247. *Namque hoc in promptu manifestumque esse videmus, Pondera quantum in se est non posse obliqua meare, Ex supero quom praecipitant.* 190. *Pondera quantum in se est quom deorsum cuncta ferantur.* Deinde per inane et leviora et graviora aequa celeritate feruntur; cf. 238. *Omnia quapropter debent per inane quietum Aeque ponderibus non aequis concita ferri,* et qui locus inde corrigendus est 1, 1075. *concedere debet (inane) Aequis ponderibus motus quacumque feruntur.* Nam recte jam olim *aeque* legendum esse intellexerunt, quod tamen Wakef. re non satis perpensa rursus expulit. Fieret igitur, ut singula per se primordia aequabili semper motu sine offensu vel plaga decíderent, ita ut numquam quidquam creari potuisset; aut si nihilominus potuisset, tota natura ponderis legibus obediret, et quoniam ex infinito causam causa sequeretur, necessitati sive fato esset subjecta. Tale fatum ut expelleret, invenit Epicurus tertium eumque voluntarium primordiorum motum, quo ea a recta cadendi linea paululum declinarent. Quod Lucret. 216. sqq. his verbis dixit:

Illud in his quoque te rebus cognoscere avemus:
Corpora, quom deorsum rectum per inane feruntur,
Ponderibus propriis incerto tempore ferme
Incertisque locis spatio depellere paulum:
Tantum quod minumum mutatum dicere possis.

Communi hic editorum errore *Ponderibus propriis* cum sequentibus jungitur, quasi propria pondera primordiis causa esse possent depellendi. At pondera, ut modo vidimus, quantum in ipsis est deorsum cadunt nec obliqua meant, sed eadem summa aequabilitate per inane feruntur. Quomodo igitur iisdem ponderibus fiet, ut primordia incerto tempore incertisque locis a recta linea deflectant? Neque hoc verum est, quod Creech. putasse videtur, *ponderibus propriis* idem esse posse ac *vi sua propria*. Itaque necessario interpunctio mutanda et haec jungenda sunt: corpora quom ponderibus propriis rectum per inane deorsum feruntur, incerto ferme tempore incertisque locis paulum spatio depellere. Hoc poetam voluisse colligere licet et ex v. 292. *Id facit exiguum clinamen principiorum Nec regione loci certa nec tempore certo;* et praecipue ex Ciceronis loco ad nostrum explicandum singulariter apposito, quem jam priores interpretes contulerunt, N. D. 1, 25, 69. *Epicurus enim videret, si atomi ferrentur in locum inferiorem suopte pondere, nihil fore in nostra potestate, quod esset earum motus certus et necessarius, invenit quomodo necessitatem effugeret: ait, atomum, cum pondere et gravitate directa deorsum feratur, declinare paululum.* Quibus perlectis quomodo quemquam vera Lucretii sententia effugere potuerit, difficile intellectu est. Illud praeterea addo, Wakefieldium et Forbigerum errasse, quum *rectum* hic et infra 226. *quo citius rectum per inane feruntur* pro adverbio haberent, quod ut ipse Wak. sensit *recta* dicendum erat, similiter ut 2, 198. et in Ciceronis loco quem modo adscripsi, *directa*. Pertinet autem ad *inane*, ut *per rectum inane feruntur* significet: recta via per inane feruntur; nec multo audacius hoc dictum est, quam apud Verg. A. 6, 901. *Tum se ad Cajetae recto fert litore portum* pro: recta secundum litus, via, et ib. 8, 57. *Ipse ego te ripis et recto flumine ducam* i. q. recta via secundum ripas et flumen. Neutro enim loco de litore aut flumine recta linea tendente cogitandum est.

Harum movendi legum quod non recte meminit, in

alio loco 1, 994. Wakefieldio erroris causa facta est. Docet ibi Lucr. infinitam magnitudinem spatii; quod si finitum esset, omnis materies jam pridem confluxisset ad imum ibique cumulata jaceret atque immota. At nunc in assiduo motu est, quia nihil prorsus imum reperitur, quo illa confluere ac sedem ponere possit.

Semper in assiduo motu res quaeque geruntur
Partibus in cunctis, infernaque suppeditantur
Ex infinito cita corpora materiai.

Infernaque Wak. reduxit, quum priores editores, incerti quid illud significaret, Avancii conjecturam *aeternaque* recepissent. Falso autem Wak. conjunxit *infernaque corpora materiai,* ut essent corpora ex imo suscitata. Nam cum ex iis quae modo diximus manifestum est, talem materiae ex imo motum contra Epicuri doctrinam pugnare, tum alius locus obstat 2, 184. ubi claris verbis ejusmodi motus corporum negatur. *Nunc locus est — Confirmare tibi, nullam rem posse sua vi Corpoream sursum ferri sursumque meare.* Lucret. vero hoc dicit: duae res necessariae sunt, quibus assiduus ille motus fiat, materies primum, quae moveatur, deinde spatium, quo materies cadere possit: quod spatium facile intelligitur infernum esse debere. Quare *inferna* necessario sunt inferna loca sive spatia, nec quidquam praeter copulam opus est, quae alteram rem: *Ex infinito cita corpora materiai* adnectat. Fuit hic Lucretii locus e primis, quos olim Lipsiae tractavi in societate Latina, quae illo tempore praeside Hauptio, viro clarissimo et a me dilectissimo cui debeo plurimum, recens condita erat. Ibi quum ego nescio quo non satis probabili modo copulam reficere conatus fuissem, multo melius id Hauptio cessit, cujus certissimam conjecturam grata illius temporis memoria apponere hic mihi liceat. Scripsit ille *Eque infinito cita corpora materiai,* quae facillima emendatio versimilior fit eo, quod Lucret. saepenumero praepositionibus monosyllabis *e per in* particulam *que* adnectit, initio maxime versuum, ut *Eque* 1, 38. *Perque* 3, 586. 4, 669. *Inque* 2, 77. 957. 966. 3, 315. 4, 1065. 5, 124. 484. 704. 1104. 1278. 1306. 1469. 6, 1246; in aliis versuum

locis. *perque* 4, 188. *inque* 3, 3. 833. Semel *ve* ita adnectitur, *inve* 2, 1099.

IV.

Illud quod modo commemoravimus: nulla corpora sursum moveri nisi vi aliqua subigente, pluribus exemplis illustratur, in quibus v. 169. hoc legitur:

Nonne vides etiam quanta vi tigna trabesque
Respuat humor aquae? Nam quo magis ursimus altum
Directa et magna vi multi pressimus aegre,
Tam cupide sursum revomit magis atque remittit,
Plus ut parte foras emergant exsiliantque.

Nam restitui, ubi Wak. ex uno Brit. 2. sine idonea causa *non* scripserat. Etiam *ursimus* praeter quosdam Pii codices unus tantum Lugd. 1. a prima manu habet, a secunda ut reliqui *urgimus*, Gott. *murgimus*, unde facile conjicitur *mergimus*, praesertim quum statim *emergant* sequatur. Perfecto *mersimus* quod jam Lamb. proposuit propterea non opus est, quoniam *mergimus* durantem, *pressimus* perfectam mergendi actionem indicat. Itaque si *mergimus* recte se habet, in *magis* littera *s* abjicienda est, quod elisionis genus Lucret. nondum vitavit, ultimus ut videtur poetarum, qui id sibi permiserunt, minore tamen ea in re licentia usus, quum vetustiorum consuetudinem arctioribus finibus circumscripserit; ut propterea operae pretium videri possit, in eam rem paulo accuratius inquirere. Priusquam vero ipsa vocabulorum genera eorumque formas spectamus, in quibus *s* extritum est, illud notandum, in nonnullis locis etiam optimos libros, librariis de metro nimium sollicitis, poetae verba correcta praebere. Longe autem maximum exemplorum numerum dativi et ablativi pluralis faciunt tertiae, quartae et quintae declinationis cum in substantivis tum in adjectivis et participiis, plerumque quinto hexametri pede: 1, 187. *ex infantibu' parvis;* 413. *e fontibu' magnis*, Gott. Lugd. 2. *e fontibus amneis*, quod Lamb. Hav. Wak. minus recte receperunt; 836. *Ossibu', sic*, Gott. Lugd. 1. 2. *hic*; 3, 52. *et*

manibu' divis, Lugd. 1. omittit *et*, Bodl. *manibusque divisque*; 4, 494, *coloribu' sunt conjuncta*; 1019. *mentibu' capti*; 1200. *viribu' tendunt*; 5, 54. *Immortalibu' de divis*, ut bene Lamb., omnes libri *e divis*; 822, *montibu' passim*; 934, *falcibu' ramos*; 6, 51. *mentibu' saepe*; 1, 160. *ex omnibu' rebus*; 838. *coëuntibu' guttis*; 2, 175. *omnibu' rebus*; 457. *minoribu' sunt elementis*; 626. *cum posterioribu' signis*; Bodl. *ignis*; 823. *variantibu' formis*; 1196. *minoribu' nostris*; 6, 29. *in rebus mortalibu' passim*; 98. *pugnantibu' ventis*; 195. *pendentibu' structas*; 619. *ardentibu' solem*; 894. *sitientibu' nautis*; 944. *manantibu' stillant*; 2, 930. *sensibu' sensus*; 4, 467. *sensibu' visa*; 1015. *rebu' loquuntur*; 1032. *omnibu' rebu' profundant*; 1163. *rebu' locisque*. Porro *us* adjectivorum et participiorum secundae declinationis: 2, 830. *clarissimu' multo*, Lugd. in marg. *ultro*; 3, 918. *privatu' doloribus aegris*, siquidem genuinus habendus, qui in Lugd. 1. rubro colore notatur; 1051. *sopitu' quiete est*; 5, 945. *Claru' citat late sitientia saecla ferarum*, ut ex bona Forbigeri conjectura scribitur pro codicum lectione *claricitat*, verbo monstruoso et analogia carente. Semel omnino *us* substantivi 3, 1038. *Lumina sis oculis etiam bonus Ancu' reliquit*, quem versum, quod bene notandum est, Lucret. paene integrum ab Ennio mutuatus est, a quo ut Fest. s. v. *sos* refert, ita scriptus erat: *Postquam lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit*. Nam *opus* 4, 1264. *nec molles opu' sunt motus* non amplius substantivis adnumerandum est. In comparativorum adverbiis, quae in *us* exeunt: 1, 977. *Quo minu', quo missum est, veniat*; 5, 1444. *nec multo priu' sunt elementa reperta*; 6, 973. *quod amariu' frondeat estu*, ubi certe de *amarius* et elisione litterae *s* dubitari nequit, quamquam *frondeat estu* falso scribitur; Lugd. 1. 2. *in arvis*. In genitivo pronominis *aliquis*: 2, 1079. *Quin aliquoju' siet saecli*, ut recte Gronovius codicum *aliquoivis siet* correxit. Denique etiam *is* in nominativo et genitivo tertiae declinationis: 252. *quin omni' sit haec rationi' potestas*; 4, 1025. *corpori' fundunt*; 1148. *Ut quae corpori' sunt*. Ex hoc exemplorum conspectu colligi potest, Lucretium *s* abjecisse in

omnibus hexametri pedibus, excepto ut statim intelligitur ultimo, saepissime vero in quinto; deinde in utraque thesis syllaba; porro ante omnes consonas atque ibi adeo, ubi sequens vocabulum a duabus vel tribus consonis incipiat, veluti *rebu' profundant, pendentibu' structas.* Contra abjicere vitavit in omnibus verborum formis exceptis solis participiis; quamquam neque Ennius neque Lucilius vitaverunt, et ipse Catullus, a quo semel tantum, si Schneid. Gr. lat. 1. p. 347. recte observavit, *s* finale extritum est, id commisit, 116, 8. *tu dabi' supplicium.* Ut vero supra vidimus elisionem longae vocalis ante brevem in substantivis a Lucretio numquam admissam esse, ita non magis casui tribuam, quod aliter atque apud Ennium et Lucilium nusquam in substantivorum nominativis *s* abjectum appareat. Nam *lumina sis oculis bonus Ancu' reliquit* ex Ennio sumtum esse neminem Romanum fugere potuit. Inde sequitur, quod judicandum sit de Lambini conjectura 3, 1027. *horribilis de saxo jactu' deorsum,* quae et editoribus ante Wakefieldium arrisit, et nuperrime Freundio in lex. s. v. *jactus,* etsi *deorsum* eo loco otiosum est. Ipse aliquando *de saxo jactu' reorum* pro vero habui, simul aliquot Ennii et Lucilii exemplis ostensurus, quod grammatici non adnotaverunt, etiam quartae declinationis nominativum *s* abjicere potuisse: Enn. Ann. 2, 19. (ed. Lips.) *Hic occasu' datust, at Horatius inclytu' saltu.* lb. 5, 13. *Injicit irritatu', tenet occasu', juvat res.* Lucil. Fr. 64. ex incerto Sat. lib. (ed. Bip.) *Principio exitu' dignust, exodiumque sequetur.* Sed obstat Lucretii usus, et cum Wakefieldio *jactus eorum* reducendum est, ut per synesin pronomen ad eos referas, qui insignia malefacta ac scelera modo commemorata commiserint. At in adverbiis quum *s* finale a Lucretio extritum sit, et ab Ennio in ipso *magis* sit factum: ap. Cic. de Divin. 2, 56. *Bellipotentes sunt magi' quam sapientipotentes;* ap. Fest. s. v. *quamde: ut muro fretus magi' quamde manus vi;* id quod supra conjecimus *quo magi' mergimus* offensione videtur carere. Quae emendatio certior fit eo, quod saepius vel optimos codd. corruptos esse vidimus, ubi *s* abjicien-

dum esset. Ob eandem causam 1, 718. *Insula quem triquetris terrarum gessit in oris, Quam fluitans circum magnis amfractibus aequor Ionium glaucis adspergit virus ab undis* admodum notabilis et nisi fallor vera est antiquissimi cod. Gott. lectio *ac fractibus longi* h. e. *amfractibus longe*, ut jam Orell. vidit, qui simul hanc verborum conjunctionem commendavit: quam Ionium virus magnis amfractibus circumfluitans, longe ab undis glaucis eam adspergit. Simplicior ratio erit: quam Ionium (Ionium mare) magnis amfractibus longe circumfluitans, ab undis glaucis virus adspergit. Cf. Verg. A. 3, 211. *insulae Ionio in magno.* Ov. Met. 4, 535. *in Ionio immenso.* Sil. It. 11, 22. *Ionio lustur curvata profundo.* Credibile est, librarium, qui frustra quaereret, quo *Ionium* referret, simulque metrum adjuvare vellet, *longe* in *aequor* mutasse. Admodum verisimilis etiam Gifanii conjectura Bentlejo probata initio libri secundi, quem locum supra jam attigi: *Nonne videre est, Nil aliud sibi naturam latrare, nisi ut, quoi Corpore sejunctus dolor absit, mente fruatur Jocunde sensu, cura semotu' metuque.* Vulgo ex codicibus: *cura semota metuque*, quae lectio ideo minus proba est, quod illud *quoi* ab Avancio rectissime pro librorum *qui* restitutum non facile ad naturam referri poterit. Et ut hic litterae *s* elisio corruptionis causa fuisse videtur, ita similiter 6, 281. ubi vulgata scriptura, ad quam Eichst. et Forb. redierunt: *Inde ubi percaluit vis venti, vel gravis ignis Impetus incessit,* in solis Cant. Poor. et Pii codicibus invenitur, ut manifesto verba a librario quodam transposita sint. Lugd. 1. 2. *percaluit gravis venti vis igni,* quod in reliquis libris multis modis variatum est, ut tamen nihil fructus inde capias, quod idem de Wakefieldii conjectura valet: *Inde ubi percaluit gravius ventosus, et ignis Impetus incessit.* Facilliorem enim emendationem requirimus, in hunc fere modum: *ubi percaluit gravi' venti vis ignisque Imp. inc.* Nam qui de abjiciendo *s* non cogitarent, ut justum syllabarum numerum efficerent, extremam versus partem omiserunt, loci sententiam et syllabarum quantitatem, ut fieri solebat, parum curantes. Quod

in versu spondaico etiam quartus pes spondeus est, apud ipsum Lucretium exemplo non caret, quin tertius quoque spondeo constat 3, 199. *At contra lapidum conjectum spicarumque.* Verumtamen alio in loco editores sine justa causa litterae *s* elisionem statuerunt, quum contra omnes quos paulo accuratius novimus libros 6, 1137. hanc lectionem retinuerint: *Haec ratio quondam morborum et mortifer aestus Finibus Cecropiis funestos reddidit agros,* quam nescio e quibus libris Lambinus arcessiverit. Ajunt enim *Cecrops* apud Romanos semper priorem syllabam produxisse, quod mihi non tam propter mutam consonam cum liquida, quam propter numeros formarum, quae a nomine illo derivantur, factum esse videtur. *Cecropis, Cecrope* prima syllaba correpta tribrachyn faciunt, *Cecropius, Cecropia, Cecropides* proceleusmaticum, aut paeona quartum, qui numeri Romanorum metris plerumque adversantur. Ipse nominativus *Cecrops,* ut *Cecropi Cecropem* nescio an apud poetas Latinos legantur; exempla certe non habeo. At contra certissimum est a Graecis eam syllabam nonnumquam correptam esse, ut apud Eur. Ion. 272. *Κέκροπός γε σώζειν παισὶν οὐχ ὁρώμενον.* Ib. 1163. *κατ' εἰσόδους δὲ Κέκροπα θυγατέρων πέλας,* ut verisimile sit, ubi metrum sineret Romanos quoque hoc sibi permisisse. Itaque quum in Lucretii loco optimi codd. Lugd. 1. 2. fragm. Vind. et plerique reliquorum, Macrobius praeterea *Finibus in Cecropis,* reliqui *Finibus in Cecropiis* praebeant, vix licet dubitare, priorem rationem *Finibus in Cecropis,* veram hic esse, alteram cur Wakef. probaverit obscurum est.

Finita hac de abjecta littera *s* quaestione restat, ut ejus loci, unde profecti sumus postremum versum explicemus: *Plus ut parte foras emergant exsiliantque,* quoniam nec Wakefieldii interpretatio vera „majore parte quam antea", nec quam Faber dedit „dimidia parte amplius" satis accurata est. Sententia haec esse videtur: ut plus, quam quod pars appellari possit, emergant, nobis: *mehr als zum Theil,* h. e. paene toto corpore.

V.

De motu principiorum postquam vidimus, nunc alios quosdam secundi libri locos adjungo, qui similiter ad naturam illorum definiendam pertineant. Quod 1, 1034. et 2, 339. demonstratum est, primordiorum summam infinitam esse, ad id novum hoc additur, singula eorum genera finito numero constare. Nam si prima corpora in infinitum variarent, infinita etiam nonnullorum deberet esse magnitudo, quoniam omnis in corporibus formae variatio eo fit, quod singulae ex quibus compositae sunt partes inter se transponuntur. Atqui perparva sunt illa primordia et ex paucis tantummodo composita partibus; ergo parvum etiam variationibus locum praebent. Quae postrema quum v. 483. in codibus ita legantur:

Namque in eadem una quojus vis in brevitate
Corporis inter se multum variare figurae
Non possunt,

facile intelligitur, praepositionem *in* errore scribendi repetitum esse. Correxit igitur Avanc. *Nam quod eadem* cet. quod placuit Wakefieldio, qui inaudito supplementi genere hanc verborum conjunctionem invenit: nam *ita erit eo*, quod cet. Eadem manet difficultas, si cum Eichstadio post *corporis* comma posueris. Audacior denique et invenusta Lambini conjectura est: *Namque in eadem una cujuscujus brevitate*, ac parum probabilis vel propterea, quod Lucr. pronominis *quisquis* nullam omnino praeter neutrum *quidquid* formam usurpavit. Ego quum codicum lectio praeter repetitam praepositionem plana sit atque perspicua, levissima litterarum mutatione scribendum censeo: *Namque ut eadem una quojusvis in brevitate Corporis*, h. e. quemadmodum in eadem una cujusvis corporis brevitate fieri debet. Ejusdem notionis *ut* habet Horat. Sat. 1, 6, 79. *vestem servosque sequentes, In magno ut populo, si qui vidisset.* Sall. Jug. 107, 6. *ea res, ut in tali negotio, probata*, ad quem locum Kritz. accurate de eo particulae usu disseruit. Quae vero deinceps sequuntur verba: *face enim minumis*

e partibus esse Corpora prima; tribus vel paulo pluribus auge, in Wakefieldii et posterioribus editionibus male distincta leguntur. Corpora enim prima ex minumis partibus constare, res est jam in primo libro satis explorata et demonstrata (1, 610. *Sunt igitur solida primordia simplicitate, Quae minumis stipata cohaerent partibus arcte*), simulque gravissima est ad totam Epicuri de primordiis doctrinam. At si h. l. conjungimus: *face enim minumis e partibus esse Corpora prima,* eadem res rursus tamquam nondum plane certa poneretur. Deinde necessarium est, ut certus, ex quibus primordium constet, partium numerus indicetur, qui deinde aliquibus additis augeatur; quoniam aliter, quantam primordii magnitudinem quemque universarum partium numerum Lucret, sibi cogitaverit, incertum est. Quapropter ad veterem distinguendi rationem redeundum est, quam Wakef. sine idonea causa deseruit: *face enim, minumis e partibus esse Corpora prima tribus, vel paulo pluribus auge,* h. e. vel auge illa trium partium corpora paulo pluribus partibus.

Porro ostenditur, res veluti herbas, aquam, animantium corpora non ex uno sed ex variis principiorum generibus constare, idque etiam in rebus, quae igne crementur, cognosci posse; quod Lucret. v. 672. his verbis dicit:

Tum porro quaecumque igni flammata cremantur,
Si nil praeterea, tamen haec in corpore aluntur,
Unde ignem jacere et lumen summittere possint,
Scintillasque agere ac late differre favillam.

Quam dura et impedita verborum constructio Isaaci Vossii conjectura *aluntur* effecta sit, nemimem fugere potest. Lugd. 1. 2. *traduntur,* Brit. 2. *trudunt,* reliqui omnes cum antiquissimo fragm. Vind. *tradunt,* ut vix dubitari possit, *traduntur* errore librarii ortum esse, cujus oculi ad finem antecedentis versus *cremantur* aberraverint. Qui tamen ipsum *tradunt* defendere conentur, vereor ne operam perdant; Lambini autem commentum: *tamen ex se ea corpora tradunt* ut repudiemus, sufficit ad insolentiorem in verbis *ex se ea* elisionem attendisse. Multo facilius *tra-*

dunt in *prodant* commutes, ut sit: tamen haec in corpore esse ostendunt sive palam faciunt.

Primordia coloribus carent: quod cum ex aliis rebus, tum ex colorum natura concluditur, qui sola luce efficiantur (v. 795.):

Praeterea quoniam nequeunt sine luce colores
Esse, neque in lucem existunt primordia rerum,
Scire licet, quam sint nullo velata colore.
Qualis enim caecis poterit color esse tenebris,
Lumine qui in ipso mutatur, propterea quod
Recta aut obliqua percussus luce refulget?

Quum monosyllabae voces arsi non producantur, verba *Lumine qui in ipso mutatur* aperte vitiosa sunt. Quod Wak. qui primus hanc omnium sane codicum lectionem reposuit, provocat ad 5, 7. *Nam si ut ipsa petit majestas cognita rerum* et Verg. Ecl. 8, 108. *Credimus? an qui amant ipsi sibi somnia fingunt?* argumento est, quam negligenter interdum rem suam gesserit. Manifestum enim, aut illis in locis elisionem, aut in nostro hiatum eum statuisse. Ante Wakefieldium verba ex Avancii conjectura hoc modo transponebantur: *Lumine qui mutatur in ipso.* At non solum leniore remedio opus est, sed simul falsa sententia amovenda, quae hoc versu tam arcte cum antecedenti juncto oritur. Videretur enim Lucretius coloris in tenebris defectum ex eo concludere, quod color in lumine mutetur. Quae conclusio non perspicio quo jure fieri possit; immo hoc quivis scit experientia doctus, in caecis tenebris nullos cerni posse colores. Quare una littera deleta et verborum interpunctione mutata sic potius scribendum esse censeo: *Qualis enim caecis poterit color esse tenebris? Lumine quin ipso mutatur cet.* ut talis sententiarum nexus evadat: Nulli sine luce colores sunt; at primordia ex tenebris in lucem non prodeunt, quoniam prae exiguitate non cernuntur: ergo sunt sine colore, nam in tenebris nullus color est. Quin etiam, quo magis intelligas coloris causam lumen esse, mutatur ille ipso lumine, prout rectis aut obliquis ejus radiis efficiatur; quod in collo columbarum

et in pavonum cauda fieri videmus. Qui varii colores si lumine solo gignuntur, sine eo fieri non posse existimandi sunt. Pro simplici *quin* quamquam Lucret. multo saepius *quin etiam* usurpat, illud tamen reperitur 1, 589. 2, 512. et ex satis verisimili conjectura Avancii 5, 882. *circum tribus actis impiger annis Floret equus; puer haudquaquam, quin saepe etiamnunc Ubera mammarum in somnis lactantia quaerit.* Falso contra Forb. 3, 938. Juntinae lectionem retinuit: *Quin correptus homo ex somno se colligit ipse,* pro *Quum,* quod in omnibus codicibus est et aeque bonam sententiam praebet. Ad defendendam lectionem *qui in ipso* vix vereor, ne quis afferat 2, 618. *Vivam progeniem qui in oras luminis edant.* 5, 75. *terrarum qui in orbi sancta tuetur,* quum quivis intelligat in utroque versu hiatum admissum esse.

VI.

Celeber ejusdem libri locus est, ubi de Magnae Matris cultu agitur. Hujus Deae numine Lucr. terram significari ostendit, quae quum varias res procreet, quas Deorum, ut Neptuni, Cereris, Bacchi nominibus appellare soleant, ipsa propterea Deorum mater dicta sit. Nota est solemnis pompa, qua Deae simulacrum in curru sedens per urbes ducebatur, magna comitante sacerdotum caterva, e quibus qui Curetes dicebantur praeter ceteros memorabiles sunt. De quo sacerdotum genere eorumque saltationibus poeta v. 630. talia refert:

Hic armata manus, Curetas nomine Graii
Quos memorant Phrygios, inter se forte catenas
Ludunt in numerumque exsultant sanguine laeti;
Terrificas capitum quatientes numine cristas
Dictaeos referunt Curetas, qui Jovis ollum
Vagitum in Creta quondam occultasse feruntur.

Primum hoc tenendum est, Lucretium semper *Grajus* numquam *Graecus* dixisse, quam formam hic Wakef. et Forb. contra meliores codd. receperunt. Multa autem interpretes ad verba *inter se forte catenas Ludunt* adnotaverunt,

quod si quaesiveris, cui bono factum sit, fatendum est nihil nisi conjecturam hominis docti tantis machinis defendi. *Catenas* enim Turnebus scripsit in Advers. 5, 26. corrigens ita paene omnium librorum lectionem *catervas*. Solus Bodl. et Ven. ed. *caterva* habent, de Lugd. 2. quod valde dolendum est, Haverc. tacet. Latine dici posse *catenas ludere* equidem non nego; poterat enim significare: catenas in choreis ducendis imitari, sicut nonnumquam ludendi verbum denotat ludendo aliquid imitari. Coelius ap. Cic. Fam. 8, 9. *civem bonum ludit*. Apul. Met. 11. p. 260. *magistratum fascibus purpuraque ludere*. Cf. quem Haverc. laudat, Suet. Aug. 70. *Impia dum Phoebi Caesar mendacia ludit*. Sed ipsius catenatae saltationis quaeritur num apta hic mentio fiat. De tali certe, quae nexis inter se manibus aut reste inter saltantes ducta fieret, ut in puellarum choreis describitur a Terent. Ad. 4, 8, 34. *Tu inter eas restim ductans saltabis* et ab Liv. 27, 37. *In foro pompa constitit et per manus reste data virgines sonum vocis pulsu pedum modulantes incesserunt;* ad quos potissimum locos interpretes provocaverunt: de tali cogitari nequit propter arma quae manibus gerebant et pulsabant, unde ἐνόπλιος ὄρχησις vel πυῤῥίχη apud Strab. 10. p. 467. Quare falsa sine dubio Orellii interpretatio: „saltando tamquam catenas manibus sese invicem complexi duçunt, in gyrum velociter se moventes". Potest quidem catena seriem saltantium significare, qui singuli procedant, idque defendi ὅρμῳ Lacedaemoniorum, de quo Lucian. de Salt. § 12. p. 275. ὁ δὲ ὅρμος ὄρχησίς ἐστι κοινὴ ἐφήβων καὶ παρθένων παρ' ἕνα χορευόντων καὶ ὡς ἀληθῶς ὅρμῳ ἐοικότων. cl. § 10. p. 274. οἱ δὲ κατὰ στοῖχον ἀλλήλοις ἑπόμενοι σχήματα ποιητοῖα ἐπιδείκνυνται aut Apuleji loco Met. 10. p. 248. qui similem puerorum puellarumque πυῤῥίχην ante oculos ponit: sed hic ipse Apuleji locus multo magis facit ad tutandam codicum lectionem *catervas*. Verba ejus haec sunt: *Nam puelli puellaeque virenti florentes aetatula, forma conspicui, veste nitidi, incessu gestuosi, Graecanicam saltantes pyrrhicham dispositis ordinationibus decoros ambitus inerrabant, nunc in orbem rotarum flexuosi,*

nunc in obliquam seriem connexi et in quadratum patorem cuneati et in catervae discidium separati. Videmus igitur catervas quoque et cuneos formatos esse, quod aliter fieri non decebat in bellica saltatione, qua omnes pugnae rationes repraesentandae essent. Catervarum autem in re militari et pugnis frequentem commemorationem esse, non est quod commemorem. Tac. Hist. 2, 42. *cominus, eminus, catervis et curieis concurrebant.* Veget. de re mil. 2, 2. *Galli atque Celtiberi pluresque barbaricae nationes catervis utebantur in proelio.* Itaque quid dubitamus apud Lucretium codicum lectionem revocare, quum quo jure ante *catenas ludere* ferri posse videbatur, eodem *catervas ludere* accipi debeat pro catervas ludendo imitari? Catervas hujus loci esse intellexerat etiam Wakef., qui tamen a conjectura *catervis* non minus quam Lambinus a sua *terque quaterque ludunt* absistere debebat. Scilicet Lamb. ea correctione simul vocem *forte* removere studuit, cujus vis obscura esse videbatur. *Sorte* quod Avanc. eodem consilio scripsit, Wak. probavit, intelligi non potest, quum Curetes non sortiti locum suum in saltando cepisse putandi sint. Alii, *forte* retinentes, antiquam adverbii formam pro *fortiter* positam existimaverunt; a quibus in eo dissentio, quod non pro adverbio sed pro accusativo neutrius habeam, qualis saepenumero verbis ita adjungitur, ut proprie accusat. objecti sit, quem tamen nostro sermone adverbiis reddere soleamus. Ne desint exempla, Lucretii haec adscribo 2, 206. *sublime volantes;* 484. *multum variare;* 359. *crebra revisit;* 5, 34. *acerba tuens;* 2, 75. *mortales mutua vivunt;* 6, 1083. *texturae mutua ceciderunt.* Neque vero ejusmodi absunt, ubi talis neutrius accusat. verbis transitivis praeter illorum objectum additus sit. Lucr. 5, 92. *ne te in promissis plura moremur;* 6, 245. *neque te promissis plura morabor;* Verg. A. 3, 348. *Et multum lacrimas verba inter singula fundit;* Georg. 3, 226. *Multa gemens ignominiam.* Unde sequitur etiam *forte catervas ludunt* recte dici potuisse, ut significet: forti ludo vel saltatione catervas imitantur. Qua ratione optime saltatio depingitur, quae bella atque arma repraesentans sine dubio

summo et corporum et animorum motu facta est, quod imprimis e verbis *sanguine fleti* apparet. Ad verbum paene similique loquendi genere respondet Callimachi versus a Lambino allatus, hymn. in Jov. 52. *Οὖλα δὲ Κούρητές σε πέρι πρύλιν ὠρχήσαντο.*

Ceterum quae sequuntur verba non recte mihi videntur distincta esse. Solet enim versus *Terrificas capitum quatientes numine cristas* ad sequentia referri; unde nascitur sententia, quasi in eo tantum, quod capitum cristas quassaverint, imitatio Dictaeorum Curetum cerni potuerit; quod non minus ridiculum quam falsum est. Nam tota saltatione illos Curetas expressos esse, ex ipso loco facile cognoscitur, simulque apparet, illum versum a reliqua choreae descriptione non sejungendum esse, novam autem periodum incipere demum a verbis *Dictaeos referunt Curetas.* Copula post *fleti* ponenda facile caremus, quum saepe a scriptoribus omittatur, ubi efficere volunt, ut quae in re describenda simul observare liceat, singula magis a lectore distinguantur ejusque animo accuratius imprimantur. E Lucretianis exemplis pauca eligo 1, 729. *Quae quom magna modis multis miranda videtur Gentibus humanis regio visundaque fertur, Rebus opima bonis, multa munita virum vi;* 800. *Posse eadem demtis paucis paucisque tributis, Ordine mutato et motu facere aeris auras;* 2, 7. *Sed nil dulcius est bene quam munita tenere Edita doctrina sapientum templa serena;* 3, 657. *tibi si lingua vibrante, minanti Serpentis cauda et procero corpore;* 4, 1178. *Et meditata diu cadat alte sumta querela.* Sed editiones ante Wakef. *et* post *fleti* addunt, quod certe omittitur in Bodl. Cant. Brit. 3. Pomp. Ambr. sicut in edd. vett. De reliquis vero codd. quum nihil certi constet, res adhuc in ambiguo relinquenda est. Pari modo in nonnullis aliis locis *et* versum concludit eademque semper conditione, ut elisio fiat; in omnibus major pars librorum copulam omittit, pauci servant, de ceteris non constat. Nec mirum, si quod permultis in locis voculae *est* accidit, idem factum sit copulae *et.* Aegre nos eam desideraremus 2, 500.

Jam tibi barbaricae vestes Meliboeaque fulgens
Purpura, Thessalico concharum tincta colore, et
Aurea pavonum ridenti imbuta lepore
Secla novo rerum superata colore jacerent;

quare jure Lamb. eam e duobus codd. recepit. Porro sententia eam postulat 6, 419.

Nubila despicere et coelum ut videare videre et
Corpora mirande sub terras abdita coelo.

Ejiciendum contra *ut*, quod Avancii conjecturae debetur; *videare videre* Graecorum est δοκοῖς ἂν ἰδεῖν. Simili ratione sensus suadet, ut *et* retineamus 5, 472.

Hunc exordia sunt solis lunaeque secuta, et
Inter utrasque globi quorum vertantur in auris.

sic certe Lugd. 1. Jure contra abjectum est 2, 857.

Nec simili ratione saporem denique quemquam,
Nec frigus, neque item calidum tepidumque vaporem,
Cetera, quae quom ita sunt tamen, ut mortalia constent,
Mollia, lenta, fragosa putri, cava corpore raro,
Omnia sint a principiis sejuncta necesse est.

ubi ante Wakef. *vaporem et Cetera* vulgo edebatur. Enimvero *cetera* nonnumquam apud Lucretium sine copula enumerandi finem facit. 1, 456. *Servitium contra, paupertas divitiaeque, Libertas bellum, concordia, cetera, quorum* cet.; 2, 1085. *Terramque et solem, lunam, mare, cetera, quae sunt*; 6, 240. *ut possint ictu discludere turreis, Disturbare domos, avellere tigna trabeisque, Et monimenta virum demoliri atque ciere, Exanimare homines, pecudes prosternere possim, Cetera de genere hoc qua vi facere omnia possint, Expediam.* Huc autem non refero 4, 757. *Per simulacra leonum, cetera, quae videt aeque,* quoniam cum propter numerorum insuavitatem, tum quod praeter leonum simulacra alia non commemorata sunt, Avanc. recte ibi *et cetera* videtur scripsisse. Quibus exemplis non minus quam totius loci ratione elucescit, pro puncto a primo Wakefieldio ante *cetera* posito rursus comma ponendum esse, quum verborum conjunctio haec esse debeat: nec denique saporem quemquam gignundis rebus primordia adhibere

debent, nec frigus, nec vaporem, cetera, quae omnia a principiis sejuncta sint necesse est, quom ita sunt tamen, ut mortalia constent, mollia, lenta, fragosa putri corpore, cava raro corpore. In his vero nihil mutandum, nec contra omnes libros *molli* pro *mollio*, ut nunc quoque fit, nec ut olim pro *tamen tandem* scribendum est. *Quom ita sunt tamen* significat: quom, ut reliqua taceam, ita certe sunt, ut mortalia constent; ut simile *tamen* apud Verg. A. 6, 328. *si quis mihi parvulus aula Luderet Aeneas, qui te tamen ore referret*, etiamsi ipse absis, te saltem ore referret; ibid. 1, 247. *Hic tamen ille urbem Patavi sedesque locavit*, hic saltem, quamquam diu jactus est.

Tandem ad Cybelen revertor et ad finem quidem totius de ea narrationis, ubi poeta ea omnia quamvis scite inventas fabulas appellat; terram enim omni sensu carere; quod vero tam multas ac varias res ex se procreet, id eo tantum fieri, quod multarum rerum primordia includat. Tum pergit v. 655.

Hic si quis mare Neptunum Cereremque vocare
Constituit fruges, et Bacchi nomine abuti
Mavolt, quam laticis proprium proferre vocamen;
Concedamus, ut hic terrarum dictitet orbem
Esse deûm matrem, dum vera re tamen ipse.

Postrema verba quum nihil apti significare viderentur, Avancio scribere placuit *dum vera re tamen haud sit*, Lambino *dum re non sit tamen apse*. Non utilior est obscura Wakefieldii interpretatio, qua *ipse* retulit ad orbem terrarum. Orell. denique verbo *dictitet* repetito sic vertit: *Wofern er nur bei dieser Benennung das Wahre sich denkt*. Quod certe accusativo casu *veram rem* dici debebat; ac ne tum quidem recte se haberet, quoniam nec dictitare cogitandi notionem assumere potest, nec vis patet pronominis *ipse*. Simplicissima ratio mihi haec videtur: dictitet hic orbem terrarum deorum matrem esse, dum re vera tamen ipse (qui dictitat) deorum mater est. Nam qui omnes illos deos qui proprie non sunt, ex ingenio suo progignit, non inepte ipse deorum mater appellatur.

VII.

Paulo difficilior locus in exitu libri secundi est, et a nonnullis adeo desperatus, ut aptum et pulchrum Lucretiani carminis tenorem non aliter quam versibus aliquot ejectis servare posse sibi viderentur. Quam resecandi licentiam, ubi sanandum fuit, quamquam recentiores editores, ut multis aliis in locis, sic hic recte coercuerunt; multum tamen abest, ut totum locum in integrum jam restituerint. Ipsi autem rem impeditiorem fecerunt eo, quod praestantiorum codicum auctoritatem paene nihili hic aestimaverunt. Tenendum est, e Lucretii opinione universam rerum naturam in pejus flectere, ejusque vires longa aetate paulatim frangi, ex parte adeo jam fractas esse. Documento esse ipsam terram, quae postquam olim omnia animantium genera e gremio suo peperierit, nunc ne fructus quidem agrorum sua sponte progignere queat, sed ad eos procreandos ingenti egeat hominum opera ac labore. Quod v. 1158. his verbis describit:

Praeterea nitidas frugeis vinetaque laeta
Sponte sua primum mortalibus ipsa creavit;
Ipsa dedit dulceis fetus per pabula laeta,
Quae nunc vix nostro grandescunt aucta labore;
Conterimusque boves et vireis agricolarum
Conficimus, seris vix arvis suppeditati:
Usque adeo pereunt fetus augentque labore!

Non una tantum causa est, cur falsa existimari debeat Wakefieldii lectio: *Ipsa dedit dulceis fetus per pabula laeta,* ut *dulces fetus* pro pecudibus accipiantur. Nam qui totum locum inde a v. 1151. usque ad finem accurate legerit, statim cognoscet, usque ad v. 1157. de animantum ex terra generatione, in reliquis vero non iterum de animantibus, sed de fructibus sermonem institui, quos olim terra ipsa et sua sponte dederit, nunc saepe neget vel summis agricolarum laboribus. Deinde si *pabula laeta* pascua pecudum sunt, quod ex Wakefieldii ratione aliter fieri nequit, quomodo in ea potissimum quadrat, quod vix nostro labore

grandescere dicuntur? Nam *quae* ad aliud quid, quam ad pabula referre non licebit. Omnem autem difficultatem Wakef. ipse intulit eo, quod codicem Brit. 2. pluris aestimavit, quam reliquos, qui omnes in bona lectione *dulces fetus et pabula laeta* consentiunt. *Fetus* enim necessario fructus significant, ut statim post in verbis: *usque adeo pereunt fetus* et semper fere apud Lucretium, veluti 1, 194. 210. 254. 352. 1032. 3, 1019. 6, 1., quum semel tantum 2, 358. de prole animali dixerit. Hic vero propter epitheton *dulces* facile de arborum fructibus intelliguntur, ut 1, 254. *crescunt ipsae (arbores) fetuque gravantur.* 352. *Crescunt arbusta et fetus in tempore fundunt:* ut post agrorum fruges et vina etiam poma et pabula commemorata sint. Ad ea omnia recte tum *quae* referretur, nisi potius ex Lugd. 1. 2. *qua* restituendum esset, cujus adverbii usus Lucretio frequentissimus est, 1, 290. 357. 422. 508. 2, 375. 683. 3, 366. 497. 4, 598. 702. 978 5, 290. 482. 1446. 6, 351. 639. 688. 824. 955. 1051. 1106. 1121. Sententia perspicua est: terra sua sponte fruges, vineta, poma et pabula creavit, ubi nunc vix nostro labore aucta grandescunt, et boves conterimus cet. Quae deinceps sequuntur in omnibus codicibus, uno Brit. 2. excepto, sic leguntur: *et vireis agricolarum Conficimus ferrum vix arvis suppeditati*; ed. Ven. *ferrint*, ed. Brix. Ver. et cod. Brit. 2. *feris*, quae lectio quamvis dubium esse nequeat, quin ex altera corruptione *ferrint* orta sit, tamen editoribus post Haverc. tanti momenti visa est, ut inde factam Avancii conjecturam *seris* probaverint. *Sera arva* Gronov. Observ. 1, 17. tarde provenientia esse dixit; quae ut apte hic commemorentur, quum agri potius appellandi essent qui, ut infra est, magnos labores crebro in cassum cadere patiantur, quid tandem verba: *seris arvis vix suppeditati* significant? Vulgo *suppeditati* interpretantur *sufficientes*, qua notione illud verbum apud ipsum Lucretium nonnumquam legitur, 1, 548. *Materies ut suppeditet rebus reparandis.* 4, 777. *tanta est Copia particularum, ut possit suppeditare.* Cf. Plaut. Asin. 2, 4, 17. *itaque jam hercle Clamore ac stomacho non queo*

labori suppeditare. At nusquam deponens *suppeditor* intransitiva illa notione exstat, si omnino tale deponens fuit, quod unc Ciceronis loco nititur, ad Att. 14, 18, 2. *De Patulciano nomine quod mihi suppeditatus es, gratissimum est.* Orell. enim *suppetiatus est* recepit ac defendit, quod verbum apud Appulejum ter vel quater invenitur. Accedit, quod praeteritum tempus a Lucretii loco alienum esse videtur, quum non hoc dici debuerit: postquam seris arvis vix suffecimus, boves et vires agricolarum conterimus, sed potius: conterimus boves et agricolas et vix tamen seris arvis sufficimus; quod praesentis participio dicendum erat et per metrum dicere licuit. Unde colligere possis, poetam hoc omnino dicere noluisse. Eadem offensio est in *suppetiati*, quod Orell. similiter ut apud Ciceronem hic quoque scribendum censuit, vetere et jam a Pio commemorata conjectura. Praeterea ne notio quidem ejus verbi loco consentanea est, quum semper auxilio venire significet. Itaque videndum est, num probabilior sententia elici possit, si codicum lectio *ferrum* retineatur, quae non prorsus defensoribus caruit. Creech. enim poetae verba sic conjunxit: *Conterimusque boves et vireis agricolarum, Conficimus ferrum vix arvis suppeditati;* non inepta ratione, modo *suppeditati* recte explicari posset. Nam ne quis passive pro *sustentati* accipiat, natura verbi prohibet, quod denotat quidem dare, subministrare, numquam vero sustentare. Paulo diversa ratione idem Creech. in interpretatione sua: „vix satis ferri est, quo agros colamus". Scilicet Fayus paulo ante conjecturam proposuerat: *ferrum vix arvis suppeditarit,* quae, si pro futuro exacto praesens scribere liceret, quum futuri temporis divinatio a loci sententia abhorreat, omnium maxime accommodata est. Pulchra enim gradatione postremo ne ferrum quidem, quamquam omnium durissimum sit, agrorum malignitati sufficere diceretur. Quare non aptiorem quidem sententiam, sed probabiliorem verbi suppeditati correctionem desidero, quam una littera interposita hoc modo mihi invenisse videor: *ferrum vix arvis suppeditat vi,* h. e. ferrum adeo vix vi

sive robore suo arvis sufficit, ut in Plauti loco supra commemorato: *non queo labori suppeditare.* Ita aliis quoque in locis ferro a Lucretio vis vel robur tribuitur, veluti 2, 449. *duri robora ferri.* 5, 1285. *ferri vis est aerisque reperta.* 6, 315. *quod frigida vis ferri est.* 954. 1000. Ante omnia vero id quaeri video, num Lucretius in exita versus monosyllabam vocem inferri sinat, quum elegantiores poetae talem hexametri clausulam diligentius vitaverint, nisi postrema versus pars graviore cum accentu pronuncianda esset. Quae lex si jam apud Lucretium valeret, faveret potius meae conjecturae quam noceret, quoniam fortiorem sententiam fortiore accentu concludi bene decebat. At Lucr. tantum abfuit, ut talem sibi legem poneret, ut monosyllabam vocem in fine hexametri vitare prorsus non curaret, atque adeo dicendus sit ejusmodi versibus delectatus esse. Nam nisi alii loci oculorum aciem fugerunt, omnino centum sexaginta quinque ejus generis versus apud illum numeravi, ex quo numero, ut par erat, non solum eos omnes exclusi, in quibus monosyllabam vocem rursus monosyllaba praecedit, quum alia eorum ratio esse videatur; sed etiam eos, ubi *est* hexametrum ita concludit, ut elisio vocalis fiat. Constat enim illud *est* tum cum praecedenti vocabulo ita coalescere, ut suam vocalem elidat. In largam illam exemplorum messem nunc non in animo est accuratius inquirere, aut adnotare, quae in iis observare liceat; id unum addo, quod huc pertinet, praeter vocabulum *res* nullum aliud a Lucretio in fine versuum saepius collocari, quam *vis, vim, vi*: 1, 13. *perculsae corda tua vi;* 486. *nulla potest vis;* 6, 1000. *quae ferri pellúceat vim;* praeterea 2, 185. 303. 3, 8. 29. 451. 582. 645. 763. 791. 4, 683. 1037. 5, 135. 207. 253. 564. 6, 71. 299. 560. 582. 1221. Etiam 3, 160. *quae quem animi vi Percussa est* librariorum incuria in codd. Gott. Lugd. 1. 2. *vi* omiserat, quum reliqui codd. recte id servaverint. Unum tamen relictum esse a me video, quod fortasse aliquis tentaverit, priusquam conjecturae potestatem faciat; scilicet ut haec conjungantur: *vix arvis suppeditati Usque adeo*

pereunt fetus. Quod quominus fiat, duplex causa impedit. Altera quod Lucr. particulas *usque adeo,* quotiescumque vi sua demonstrativa ad antecedentia spectant, semper non solum initio versus, sed etiam propter graviorem vim, qua quae modo praecesserunt restringunt, simul initio enunciati posuit; quemadmodum 3, 622. postquam docuit cuique hominis parti certum locum, ubi nascatur, redditum esse, pergit: *Usque adeo sequitur res rem,* et pari modo 1, 498. 965. 1005. 2, 366 3, 255. 392. 522, 4, 173. 309. 985. 1115. 5, 546. 1232. 6, 235. 754. 917. 932. 1046. Quo jam alterum illud accedit, quod verbum *pereunt* praesenti tempore in hunc locum non aptissime quadrat; quod idem valet, si verba *Usque adeo pereunt fetus* per se spectantur. Significant ea: usque adeo marcescunt sive corrumpuntur fetus. At ex magnis illis laboribus, quibus nunc idem ager colitur, qui olim sua sponte fructus proferebat, non tam colligitur, fructus paulatim pejores fieri, quam potius eos jam multo pejores factos esse quam antea; ut perfectum certe tempus exspectes hoc fere modo: *Usque adeo fetus periere augentque labore.* At ne hoc quidem poeta in antecedentibus dixit, fetus ipsos paulatim corruptos esse, sed potius agros parciores factos esse in frugibus procreandis. Vide igitur, quemadmodum ab editoribus ludificeris, qui illud *pereunt* ex solis Brit. 2. Poor. et quibusdam Pii codicibus receperunt; nam Vindobonensem et fragm. Vind. ita legere ex Alteri silentio concludere non debebant. Lugd. 1. 2. Bodl. ed. Brix. *parcunt,* unde in reliquis aut *pariunt* aut *pareunt* factum est. Nihil autem verius existimo, quam illud *parcunt,* quod quum h. l. contra vulgarem usum cum accusativo junctum sit, librariis causa corrigendi fuit. *Arva fetus parcunt* est: parce edunt fetus, qua significatione parcendi verbum eodem modo junctum legitur apud Plaut. Curc. 3, 11. *Nisi eam (pecuniam) mature parsit, mature esurit.* Cf. Nonius p. 370, 26. *Parcere, servare.* Verg. lib. X. (531.) *Argenti atque auri memoras quae multa talenta, Natis parce tuis.* Lucil. lib. XVII *Parcant illi majus cui possint, cui fidem esse existiment.* Gell. 16, 10. *vitam*

modo sibi ut parcerent oravisse. Tum vero sine dubio ex Cant. Pomp. Ambr. scribendum est: *augentque laborem*, quum sic demum sententiae justa ratione se excipiant, oppositis inter se, quod arva fetus quidem parcius edant, laborem contra augeant. Signum, quo littera *m* in codicibus indicari solebat, facillime deleri potuit.

VIII.

Tertius liber totus versatur in animi natura describenda, quem mortalem esse ut corpus Epicurus quovis pignore evincere studebat. Scilicet hac una ratione mortis metus expelli posse videbatur, qui non simpliciter homines infelices reddit, sed simul plurimorum vitiorum ac scelerum, ut bellorum civilium, caedis, parricidii, invidiae, avaritiae, perfidiae, impietatis causa ac principium est. Universa enim hujusmodi vitia eo nascuntur, quod homines turpem contemtum atque egestatem, quae morti proxima esse et quasi ante leti portas cunctari videantur, quam longissime effugere cupiunt. Quapropter v. 79. non inepte, quamquam aliquanto paradoxius multi adeo ipsius mortis formidine mortem propria manu sibi consciscere dicuntur.

Et saepe usque adeo mortis formidine vitae
Percipit humanos odium lucisque videndae,
Ut sibi consciscant moerenti pectore letum
Obliti, fontem curarum hunc esse timorem,
Hunc vexare pudorem, hunc vincula amicitiai
Rumpere, et in summa pietatem evortere suadet.

Quum non verisimile sit, Lucretium in fine periodi inceptum orationis genus deseruisse et in directum convertisse, Lamb. pro *suadet* conjecit *fundo;* ipse ut omnes reliqui editores eo falsus, quod duos postremos versus cum praegressis conjunxerunt, geminatum *hunc* ad *timorem* spectare arbitrati. Quo errore non solum orationis inconcinnitatem, sed sententiam quoque non satis aptam ipsi sibi pepererunt. Namque id unum maxime, qui ipsi se interficiunt, non oblivisci oportebat, mortis metum omnium curarum, ob quas mortem sibi petant, fontem esse. Quod

si meminissent, non tam stulti essent, ut ipsi se interficerent. Quid autem ad rem, si obliviscantur, mortis formidinem pudorem vexare, vincula amicitiae rumpere, pietatem evertere; quae cogitatio numquam ejusmodi hominem a voluntaria morte retinebit? Itaque non credo, poetam haec conjunxisse, sed punctum pono post *timorem*, ut sequentes versus vitia enumerare pergant, quae ex illo metu oriantur. Hunc (hominem), inquit, ille timor pudorem vexare, illum amicitiae vincula rumpere et in summa pietatem evertere suadet. Geminatum *hic* pro *hic-ille* apud ipsum Lucretium legere non memini, sed notus est usus. Cf. Verg. A. 7, 473. *Hunc decus egregium formae movet atque juventae, Hunc atavi reges, hunc claris dextera factis*, et quos reliquos ejus locos Wagn. Quaest. Verg. 20, 9. collegit. Pronomine *ille* ipsum Lucretium statuas paulo ante ita usum esse, 3, 75. *ante oculos ollum esse potentem, Ollum adspectari, claro qui incedit honore*, ut non idem, sed diversi homines significentur, alter potentia, alter honoribus spectabiles. Verbo *suadendi* denique, ubi ad aliquid agendum impellere denotat, similiter accus. et infinitivus adjungitur 1, 141. *Sed tua me virtus quemvis efferre laborem Suadet.* 2, 171. *Et jam cetera mortales quae suadet adire Dia voluptas.*

Sequantur duo alii ejusdem libri loci, qui pariter meliore interpretatione indigent. De homine qui quamvis animi mortalitatem professus indigne id ferat, quod corpori post mortem futurum sit, ut putescat, aut flammis cremetur, aut hauriatur a feris, Lucret. v. 886. ait:

Scire licet, non sincerum sonere, atque subesse
Caecum aliquem cordi stimulum; quamvis neget ipse
Credere se, quemquam sibi sensum in morte futurum.
Non ut opinor enim dat, quod promittit et unde,
Nec radicitus e vita se tollit et eicit.

Duobus modis verba *non dat, quod promittit et unde* interpretati sunt. Turneb. Advers. 30, 10. „non dat, unde promittit, i. e. non ex animo dicit, non oratio e corde emittitur, sed e labris et lingua oritur". Quod si poeta dicere voluisset, clarius certe nec tam obscure ab eo dictum esset.

Wakef. fortasse verum vidit, sed ut solet obscurius sententiam sic exposuit: „nec dat, unde promiserat se daturum: i. e. non re praestat, quod verbis prae se tulerit; neque ad ea principia, de quibus se professus erat persuaderi, mores quadrat". Videtur autem Lucret. hoc voluisse: nec dat, quod promittit, nec rationes dat, unde promittit, h. e. nec de omnis sensus in morte privatione, quam credere se profitetur, nec de rationibus, ob quas illam sensus privationem credere se profitetur, prorsus ei persuasum est. Nam multi sunt, qui credere se dicant, quod tamen intimum pectus credere neget. Conjecturis igitur veterum editorum, *et inde* aut *abunde* non opus est; praesertim quum supra jam viderimus, Lucretium tam breviter locutum esse, ut plura verba alterius enunciati suppleri debuerint, ubi dixit: *dum vera re tamen ipse.* Adde 6, 704. *Sunt aliquot quoque res, quarum unam dicere causam Non satis est, verum plureis,* h. e. verum plureis dicere opus est. Verum non ubivis aut quovis modo a supplemento interpretandi auxilium petendum esse, ex altero de quo dicturus sum loco apparebit, ubi poeta quid de Cerbero, Furiis, Tartaro cogitandum sit, hoc modo docet (v. 1024.):

Cerberus et Furiae jam vero et lucis egestas,
Tartarus, horriferos eructans faucibus aestus;
Qui neque sunt usquam, nec possunt esse profecto,
Sed metus in vita poenarum pro malefactis
Est insignibus insignis.

Desideratur justa ratio, qua verba in periodum concilientur; quam Wakef. quidem tali supplemento sibi invenisse videtur: Cerberus et Furiae jam nobis animadvertendae sunt. Hoc tamen nullo pacto ferri potest, nisi sumere velis, Lucretium admodum rudi genere dicendi usum esse, idque in carminis parte, quae inter reliquas tam sententiarum quam orationis pulchritudine excellit. Nec tollitur ea reprehensio, si quod suspicor, anacoluthiam statuant; nam ejus quoque licentiae fines sunt ac rationes habendae. Ac veteres quidem editores paulo elegantiori in ea re judicio usi Marulli in Juntina proditam conjecturam amplexi

sunt, *Haec* pro *Qui* scribentis. Si tamen postremam tertii libri partem consideraveris, ut oratio a leni et aequabili decursu, qualis in docendo esse solet, in loquendi genus verterit, quod paene dramaticum dicas, institutis saepe interrogantis et respondentis inter se sermonibus; tum non absonum videbitur, si hic quoque interrogationem et responsum latere arbitramur. Interrogatur enim: Cerberus vero et Furiae et Tartarus, qui sunt? respondetur: neque sunt usquam, nec possunt esse, sed pro insignibus malefactis insignis metus poenarum in vita est. Post *qui* igitur interrogandi signum pono. Caesurae post primam arsin haec exempla sufficient: 2, 975. *Quid? genus humanum propritim de quibus auctum est;* 1, 815. *primordia multa Sunt; ideo variis variae res rebus aluntur;* 2, 466, *e levibus atque rotundis Est; et levibus cet.*

IX.

Idem vitium, ut locum falso supplemento adjuvare vellet, Wakef. etiam paulo ante commisit v. 855., ubi simul accidit, quod saepius aliis in locis, ut quae ante eum bene jam explanata essent, prava ipsius interpretatione rursus obscurarentur. Nam quum Lucr. dixisset:

Et si jam nostro sentit de corpore postquam
Distracta est animi natura animaeque potestas;
Nil tamen est ad nos, qui comtu conjugioque
Corporis atque animae consistimus uniter apti,

priora verba per inauditam ellipsin ita explicavit: si aliquid de nostro corpore, sive aliqua pars nostri corporis sentit. Rectissime contra Creech. in interpretatione: „immo, si anima nostra, postquam a corpore separetur, sentiat, hoc tamen nihil ad nos"; ut *de nostro corpore distracta est* conjungi debeat. Liberiorem ejusmodi verborum collocationem Lucret. nonnumquam sibi permisit, ut tamen plerumque artem quandam et consilium in ea re agnoscere debeas. Nam quum per metrum dicere liceret: *Et si jam sentit, nostro de corpore,* illud alterum maluit, ut ex more attributum uno aut pluribus interpositis vocabulis a substantivo disjungeret.

Simili modo 1, 177. *Si non, certa suo quia tempore semina rerum Quom confluxerunt, patefit, quodcumque creatur,* junge: Si non, quia patefit, quodcumque creatur, quum cet. 4, 644. *Id quibus ut fiat rebus cognoscere possis,* pro: ut cognoscere possis, quibus cet. 6, 728. *Quo fit uti pacto liber minus exitus amnis Fiat.* 5, 111. *Qua prius aggrediar quam de re fundere fata.* Nonnumquam singulari ea collocatione vis et accentus alicujus vocabuli augetur, sicut 1, 974. *et omne Cogit ut exemta concedas fine patere.* 3, 197. *Namque papaveris aura potest suspensa levisque Cogere ut ab summo tibi diffluat altus acervus.* 5, 178. *Natus enim debet quicumque est velle manere In vita.* 4, 1115. *Nec reperire malum id possunt quae machina vincat.* Huc etiam 2, 471. pertinet:

Et quod mixta putes magis aspera levibus esse
Principiis, unde est Neptuni corpus acerbum;
Est ratio secernundi seorsumque videndi,
Humor dulcis, ubi per terras crebrius idem
Percolatur, ut in foveam fluat ac mansuescat;

ubi vulgo post *videndi* punctum ponunt, Wakef. *est* ad *dulcis* supplens, quum potius *dulcis fit* desideres; priores editores novum adeo verbum *dulcit* vel *dulcet* effingentes. Veram rationem Hauptius me edocuit: est ratio secernundi, ut humor dulcis in foveam fluat, ubi idem cet. Propterea etiam *tamen* nonnumquam paulo insolentiorem locum cepit, 3, 51. *Et quocumque tamen miseri venere parentant.* 1031. *Quae tamen etsi absunt at mens sibi conscia factis Praemetuens adhibet stimulos.* Jungendum enim est *et tamen, at tamen.* Ubi sine ejusmodi ratione vocabulum longius ab iis ad quae pertinet, removetur, durior fit oratio, ut 3, 929. *Tamquam in morte mali cum primis hoc sit eorum.* 4, 90. *Ex alto quia dum veniunt extrinsecus ortae Scinduntur,* ubi *ex alto ortae* jungas. 5, 66. *Ut mihi mortali consistere corpore mundum Nativumque simul ratio reddenda sit esse.* Denique 2, 249. *Sed nihil omnino recta regione viai Declinare, quis est qui possit cernere, sese,* quod post reliqua ejus generis exempla non amplius ut olim corrigere audeo. Redeundum vero ad primum de quo vidimus locum, in quo

praeterea memorabilis est editorum dissensio, quum Wakef. *detracta est* ex codd. Lugd. 1. 2. receperit, Forb. contra et Orell. reliquorum librorum lectionem *distracta est* servaverint; scilicet utrique affirmantes, suam rationem Lucretii consuetudini magis accommodatam esse. Alteri igitur erraverunt; fortasse tamen utrique, quum ubi de sententia maxime quaerendum fuisset, ex more loquendi judicare vellent, ne accuratius quidem in illum morem inquirentes. Nam Orell. uno exemplo 4, 32., Forb. quatuor saltem, praeter illud 3, 589. 800. 4, 917. citatis rem sibi confecisse visi sunt. Quibus evolutis illud sane discimus, Lucretium distrahendi verbo saepius usum esse, ubi sermo fiat de anima in morte aut per somnum dispersa et in partes suas dissoluta, veluti 3, 588. *Dispertitam animae naturam exisse per artus, Et prius esse sibi distractam corpore in ipso.* 4, 917. *somnus fit ubi est distracta per artus Vis animae,* et ut reliquos locos addam, 3, 500. *Disjectatur (anima) eodem illo distracta veneno;* 506. 4, 947. 962.; in quibus omnibus *distrahere* recte dictum est, quoniam notio in diversas partes trahendi poscitur. Similiter de aliis rebus, quae in diversas partes trahuntur sive dividuntur: 2, 826. *quanto in partes res quaeque minutas Distrahitur.* 3, 491. *vis morbi distracta per artus;* de sono 4, 695. *distractus in aeris auras;* de veste 5, 1420.; de terra 6, 599. *Neu distracta suum late dispandat hiatum.* Verum tamen ex universis his exemplis ne unum quidem invenies, ubi Lucret. locum simul adjunxerit, a quo res dissolvenda removeatur; contra ubicumque hoc fecit et aliquid ab aliquo loco removeri significavit, ibi semper *detrahendi* verbo usus est: 3, 226. *neque detractum de pondere quidquam;* 443. *detracto sanguine venis;* 513. *Aut aliquid prorsum de summa (animi) detrahere hilum;* 4, 537. *et quid Detrahat ex hominum nervis ac viribus ipsis Perpetuus sermo.* 5, 684. 979. 6, 617. Itaque si jam de ambiguo illo loco quaerimus, manifestum est Lucretii consuetudinem *detracta est de corpore nostro* sibi requirere, quod idem praeterea non solum codicum meliorum auctoritas, sed sententia ipsa postulat. Etenim

si Lucr. hoc concedit, ut animus remotus a corpore sentire possit, mirum profecto esset, si de animo in partes suas disperso cogitaret. Nam argumentatio ejus haec est: Fac ut sentiat animus, postquam de corpore remotus est, nihil tamen hoc ad nos pertinet, qui ut sumus, hac una conditione sumus, ut animus conjunctus sit corpori, statim vero iidem esse desinamus, simulatque ea conjunctio dissoluta fuerit. Ergo etiamsi animus remotus a nostro corpore sentiat, res erit a nobis ipsis, quales nunc sumus, plane diversa, quae propterea nihil ad nos pertinet.

His ut rem cognatam adnecto, quae de discrimine verborum *diminuendi* et *deminuendi* dicenda sunt, quum singulari editorum socordia factum sit, ut quibus in locis *diminuere* scribi debeat, *deminuere* legatur, et invicem ubi *deminuere* desideremus, *diminuere* scriptum reperiamus. Discrimen illorum verborum jam diu ab hominibus doctis hoc modo constitutum est, ut *diminuere* sit distributis aut disjectis partibus minuere, *deminuere* contra minuere parte aliqua detracta. Quod si recte tenemus, apud Lucretium 5, 267. sine dubio legendum est:

Partim quod validi verrentes aequora venti
Diminuunt radiisque retexens aetherius sol.

Et sic omnes libri praeter unum Brit. 1. quem editores temere secuti sunt, *deminuunt* scribentes. Nam sermo est de exhalatione, qua semper mare paululum minuatur. Illa autem exhalatio qui fit, nisi humore vel ventis vel solis calore in parvulas suas partes dissoluto? Quare 1, 310, ubi de veste dixit, quae in maris litore suspensa uvida facta sit: *In parvas igitur parteis dispergitur humor, Quas oculi nulla possunt ratione videre.* Pari modo *diminuunt* restituendum est 5, 390. quo loco eadem verba repetuntur et praeter Poor. Brit. 1. 2. etiam Lugd. 1. 2. Bodl. in ea lectione iterum consentiunt, quod Haverc. in nota critica ad v. 268. dixit, posterius autem editores neglexerunt. Vitiosum quoque, quod 5, 323. editur:

Nam quodcumque alias ex se res auget alitque,
Deminui debet, recreari, quom recipit res.

Nam quum concedi debeat, nihil alias ex se res augere et alere posse, nisi quod in partes suas se dissolvat, easque distribuat per rem augendam; manifestum est hic quoque *diminui* scribendum esse, quod Lugd. 1. 2. Vind. Brit. 2. exhibent. Aliis in locis Lucret. verbo *diminuendi* non usus est. *Deminui* contra 1, 610. legendum, ubi hi versus sunt:

Sunt igitur solida primordia simplicitate,
Quae minumis stipata cohaerent partibus arcte,
Non ex illorum conventu conciliata,
Sed magis aeterna pollentia simplicitate:
Unde neque avelli quidquam, neque deminui jam
Concedit natura, reservans semina rebus.

Illorum quod ex omnibus praeter unum Brit. 2. libris restitui, spectat ad minumas partes, ex quibus atomi sive primordia ex aeterno tempore stipata cohaerent; de qua synesi Lucretio satis usitata alio tempore a me dicetur. His de primordiis si affirmaretur numquam quidquam avelli aut diminui, hoc significaret: nullas inde partes abripi et dispergi; de quo hic certe non agitur. Sed poeta simpliciter nihil umquam ait ab illis primordiis avelli posse, ut ea ratione corpore minuantur. Accedit, quod *diminuere* simili modo, ut *distrahere* apud Lucretium, nusquam apud scriptores, quantum scio, locum adjunctum habet, unde aliquid dispergatur, quemadmodum hic fieret; *deminuere* contra saepius plane eadem ratione ut in Lucretii loco jungitur. Caes. b. G. 8, 33. *ne quid de jure aut de legibus eorum deminuisse videretur.* Cic. Planc. 38. *Si quis idcirco aliquid de libertate mea deminutum putat.* Liv. 2, 1. *quam quod deminutum quidquam sit ex regia potestate.* Quare non licet de lectione *deminuere* dubitare, sustentata etiam antiquissimo cod. Gott. et Lambini Memmiano et Bertiniano, qui libri persaepe cum Lugdunensibus easdem varietates servaverunt. Havercampi enim nota critica „nec diminui tam X. Y. Z. sed corr.“ incertum relinquit, utrum in iis solum *tam*, an *diminui* quoque correctum sit.

X.

Non solum quae oculis cernimus, sed etiam quae concipimus animo, Epicurus tenuibus imaginibus effici putavit, quae semper ab ipsis rebus recederent. Ac similem naturam iis simulacris tribuit, quibus per somnum animi hominum lacessuntur. Ea Lucretius 4, 759. his verbis dicit:

Nec ratione alia, quom somnus membra profudit,
Mens animi vigilat, nisi quod simulacra lacessunt
Haec eadem nostros animos, quae quom vigilamus:
Usque adeo, certe ut videamur cernere eum, quum
Reddita vita jam mors et terra potita est.

Nisi quod reposui pro vitiosa scriptura in Brit. 1. *nisi qua,* quam Wakef. male recepit; nec magis ferendum esse duco, quod paulo infra legitur *reddita vita,* quamquam in optimis ac paene omnibus libris est. Interpretes enim quum apud Plautum bis terve antiquam futuri formam *reddibo* pro *reddam* invenissent, verbum *reddire* sibi finxerunt, quod participium *redditus* producta littera *i* formare possit. Omnino in antiquiore sermone futurum quartae conjugationis in *ibo* desinebat; quare facilius illis crederem, si una modo praeter illud futurum forma demonstrari posset, *reddendi* verbum iis accensendum esse, quae partim tertiam partim quartam conjugationem sequantur, veluti *pario,* cujus verbi futurum *paribo* exstat ap. Nonium p. 508, 1. At *reddere* quum a *dare* ductum sit, non credibile est in quartam quoque conjugationem migrasse; sed multo verisimilius, *reddibo* dictum esse pro *reddabo,* ut *a* in *i* transierit simili modo ut in compositis verborum habendi, agendi, cadendi, tangendi, fatendi, faciendi. Quapropter nescio an Struvius de decl. et conj. lat. p. 149. recte suspicatus sit, *i* in *reddibo* non producendum, sed corripiendum esse. Quae quum ita sint, nec amplius de participio *redditus,* qualem editores sibi finxerunt, cogitari debeat, Lucretii verba necessario corrigenda sunt. Factum hoc jam in codd. Poor. et Cant., qui *vitai* exhibent, mutatione facili, sententia vero obscura; nec pluris aestimanda sunt Fabri et Gronovii

commenta: *Reddita vitai jam pausa* aut *Reddita vitai jam sors.* Ego Lucretium neglecta elisione scripsisse puto: *quem Redditum a vita jam mors et terra potita est.* Nam ut homo dicitur vitam reddere, ita contrarium quoque dicere licebit: vita reddit hominem, homo a vita redditus. Quae sententiae conversio propter oppositum huic loco vel maxime apta est, quoniam mors et terra potiri dicuntur eo, quem vita, quae antea possedit, reddidit. Syllaba *um* quae non plene scribi solebat, facillime omitti potuit, praesertim si quis librarius neglecta elisione offensus est. Eam licentiam Lucretio cum reliquis poetis communem esse supra jam vidimus, ubi bis *qui in* cum hiatu dictum esset. Etiam 3, 375. hiatum statuendum esse Haupt. ostendit Observ. crit. p. 13. quum non sine justa causa scribi juberet: *Nam quom multo sunt animae elementa minora.* Reliqua ejusmodi exempla, ubi vocalis ante vocalem non eliditur, praesertim quum de librorum lectione non ubique certe constet, nunc non percensebo, pauca tantummodo de iis additurus, ubi littera *m* a Lucretio non elisa sit. Constat enim in ea re poetas paulo majorem diligentiam adhibuisse, ut Vergilius adeo, qui communem hiatum saepissime admisit, ab ea licentia prorsus abstinuerit. Lucretius minus religiosus fuit; nam ter ab eo factum est in voce monosyllaba in priorem thesis partem cadente: 2, 680. *Reddita sunt cum odore imprimis pleraque dona.* 3, 1095. *Sed tum abest, quod avemus, id exsuperare videtur.* 6, 276. *Semina, seque simul cum eo commiscuit igni.* Non magis dubitare licet de alio loco 6, 942. *Nil esse in promptu nisi corpus mixtum inani.* Ante Wakefieldium vulgo mutato ordine legebatur *mixtum corpus inani,* ut in codd. Poor. Brit. 1. et nonnullis vett. edd. est. Quod vero Wak. e conjectura scripsit *corpus mixtum in inani* propterea ferri nequit, quod tum inane res potissima esset, cui corpora immixta esse dicerentur; quum contra totus locus manifesto doceat, de corpore hic agi, cui inane sit admixtum. Necessario igitur ex optimis libris Gott. Lugd. 1. 2. et plerisque reliquis *corpus mixtum inani* legendum est, ut *inani* sit ablativus. Etiam

2, 466. verisimillimum est Lucretium scripsisse: *Nam quod fluvidum est, e levibus atque rotundis Est*, etsi praeter aliquot deteriores codices etiam Lugd. 2. *fluvidus* praebet. Recte enim Wak. observat, *fluvidumst* contracte scriptum facile illam lectionis varietatem efficere potuisse. Haec exempla, ut opinor, sufficient ad conjecturam meam confirmandam; quamquam olim etiam 1, 337. 362. 363. 367. 437. *corporum* et 3, 197. *papaverum* legebatur, ut sequente vocali elisio non fieret. Quod tamen recte ab recentioribus editoribus correctum est, quum illae pluralis formae in uno alterove tantum ex deterrioribus codicibus et aliquot editionibus servatae sint, omnes vero reliqui libri in lectione *corporis* et *papaveris* consentiant. Pluralis ideo scriptus est, quia non meminerant, *corpus* et *papaver* ibi collective dicta esse.

XI.

Ut in reliquis rebus Epicurus sensus summam causam ac fontem omnis cognitionis esse judicabat, sic veram solis naturam, sive ejus magnitudinem sive calorem spectes, bene ab illis cognosci posse arbitrabatur. Putabat enim solis eandem rationem esse atque ignis, cujus corpus, quoad cum luce simul ejus calorem percipimus, eo intervallo nihildum sensibus videtur minutum esse. Verba quibus ea sententia continetur omnes paene libri hoc modo nobis exhibent (5, 567.):

Nam quibus e spatiis cumque ignes lumina possunt
Allicere et calidum membris afflare vaporem,
Nihil nisi intervallis de corpore libramt
Flammarum, nihil ad speciem est contractior ignis.

Ne quis suspicetur utrumque vocabulum *nihil nisi* corruptum esse, quum solum *nisi* vitiosum sit, illud tenendum est, in libris saepissime *nihil* invenîri, ubi metrum monosyllabum *nil* postulet. Poor. Cant. ed. Junt. metri causa *Nilque nisi ex* praebent; quae reliquae sunt correctiones partim rudia sine arte conamina sunt, ut illud Lambino indignum commentum: *Illa ipsa intervalla nihil de corpore*

libant, et Wakefieldii: *Nil ipsa intervalla in sis de corpore librant.* Paulo melior et sobria certe Gifanii conjectura est: *Nil visus intervallis*, quamquam *visus* post verba: *quibuscumque e spatiis lumina allicere possunt* supervacaneum esse patet. Restat igitur de qua dicamus Eichstadii emendatio: *Nil missus intervallis* a Forbigero recepta atque explicata. Qua tamen explicatione Eichstadium non puto magnopere laetatum esse, quum ipsi inepta impingat. „Ex hoc intervallo", ait Forb. „(licet tantum intervallum sit) *missus* ignis (i. e. emissiones quasi vel emissi radii ignis) nihil librant (detrahunt) de corpore flammarum". At quis umquam emissos ignis radios ab ejus corpore quidquam detrahere vidit? Neque hoc agitur; sed potius, num intervallum ipsum efficiat, ut corpus ignis sensibus minutum videatur. Hoc vero intervallum recte dici potuit *missus intervallum*, ut intervallum sit ex quo ignis lucem et ardorem mittat. Nihilominus valde dubito, num ea ratione genuina poetae lectio restituta sit, quoniam non patet, quomodo *missus* in *sis* potuerit corrumpi. Quam corruptionem si paulo accuratius consideramus, suspicio nascitur, *i* finale petitum esse ex initio sequentis vocabuli, quod saepenumero factum esse constat, veluti 2, 684. ubi Lugd. 2. *sapori insinuatur* legit pro *sapor insin.* 3, 75. idem cod. *macerati invidia* pro *macerat invidia*, et invicem 1, 44. rursus Lugd. 2. *communi id esse* pro *communi dêsse.* Quod vero relictum est *nisi* ortum videtur e contractius scripto *nimiis*, ut jam legendum sit: *Nil nimiis intervallis de corpore librant Flammarum*, h. e. quibuscumque e spatiis ignes et lumina allicere et membris calorem afflare possunt, intervalla non nimia sunt, ut propterea de corpore flammarum quidquam librent. In his semper *librandi* verbo usus sum, quod sane in codicibus est et Lambino aliisque interpretibus significat: tamquam corticem detrahere, quum ductum sit a libro sive cortice. At verbum simplex ejus stirpis nemo scriptorum agnoscit; composito *delibrare*, si unum Lucretii locum excipias, solus Columella interdum usus est et semper propria significatione corticem detrahendi,

Ille autem Lucretii locus ita comparatus est, ut si in eo *delibrare* probari possit, in altero quoque *librare* ferri posse videatur; sin minus, hoc alterum eo magis sit rejiciendum. Legitur ille 3, 1100.

Nec prorsum vitam ducundo deminus lilum
Tempore de mortis, nec delibrare valemus,
Quominus esse diu possimus morte peremti.

Delibrare, quod hic quoque translata detrahendi significatione accipiunt, Avancii correctio est e codicum lectione *deliberare;* unus Poor. et ed. Junt. *delibare.* Verum ut opinor ea tantum conditione Lucretius translatum usum in verbis librandi et delibrandi recte sibi permisisset, si de rebus ageretur, quarum de superficie aliquid detrahendum esset, quod nemo facile de mortis tempore aut de igne contenderit. Nam quod ad illum de morte locum attinet, ridicula paene Wakefieldii explicatio: „Non valemus id a tempore mortis diminuere vel deradere, quod ea sit ratione ad aeternitatem, qua cortex tenuissima est ad solidum arboris integrae truncum". Ignis autem ubi propter interjectum spatium oculis se minorem ostendit, non parte circuitus privatus, sed ut ipse poeta ait, contractior videtur esse. Verum in utroque loco illud maxime agitur, ut ne parva quidem pars ejus de qua sermo fit rei detrahatur, quod aptius significari non potuit, quam verbis *libandi* aut *delibandi,* quae his ipsis locis nonnulli homines docti jam restituerunt. Iisdem verbis Lucr. saepius semperque ita usus est, ut exiguum aliquid detrahere sive carpere denotent. 3, 214. *Nil ibi libatum de toto corpore cernas,* 716. *Partibus amissis quoniam libata recessit (anima).* 5, 261. *Ergo terra tibi libatur.* 3, 23. *neque ulla Res animi pacem delibat.* 6, 622. *sol Humoris parvam delibet ab aequore partem.* Quapropter eo minus dubitandum est, quin altero loco *libant,* altero *delibare* reponi debeat, quo saepius *librare* et *libare, delibrare* et *delibare* a librariis confusa sunt. Itaque postquam Lucr. haec de igne docuit, conclusionem ad solem hoc modo facit:

Proinde calor quoniam solis lumenque profusum

Perveniunt nostros ad sensus, et loca fulgent;
Forma quoque hinc solis debet filumque videri,
Nil adeo ut possis plus aut minus addere vere,

Verba *et loca fulgent* manifesto corrupta sunt, nec sanantur Wakefieldii mira interpretatione: „uno continuo lucis per omne intervallum meatus sulco media loca refulgent". Lamb. autem h. l. omni arte atque ingenio destitutus *et loca tingunt* scripsit, quod prorsus inutiliter adjectum esset. Simplicissima emendatio erit: *ut loca fulgent*, modo concedas Lucretium particulam *ut* etiam ea notione dixisse, qua temporis quandam rationem indicat, ut sit: simulac sive dum loca fulgent, quamquam similis apud eum exempli non statim memini, nec fugit me, non *simul ut*, sed *simul ac* ab eo dictum esse (v. Haupt. Observ. crit. p. 35.). Facile tamen illud concedi posse videtur, quum *ut* temporale jam Terentio usitatum sit, atque Horatius etsi ipse quoque *simul ut* conjungere vitavit, tamen simplex *ut* temporale saepissime admisit. Sat. 1, 5, 15. *absentem ut cantat amicam Multa prolutus vappa nauta atque viator Certatim, tandem fessus dormire viator Incipit;* lb. 9, 13. *ut illi Nil respondebam: misere cupis, inquit, abive.*

XII.

In eodem libro Lucretius imaginem propositurus, ut pleraque in rerum natura justo ordine ac tempore procedant, petit eam ab anni temporum ratione earumque rerum, quae justo illorum motui conjunctae esse soleant, et a vere exorsus omnes anni vicissitudines usque ad hiemem percurrit. Incipit autem v. 736. sic:

It Ver et Venus et Veneris praenuntius ante
Pennatus graditur Zephyri vestigia propter
Flora quibus mater praespargens ante viai
Cuncta coloribus egregiis et odoribus opplet.

Haec in libris leguntur; sed postquam Avanc. genitivo *Zephyri* offensus pro eo nominativum posuit, omnes editores secuti sunt. Et priore quidem tempore non displicuit, Zephyrum pennatum Veneris praenuntium appellari, quum

ex his Horatii: *Jam Cytherea choros ducit Venus imminente luna* meminissent, Venerem verno tempore gaudere. Cujus rei multo clarius documentum ex ipsius Lucretiani carminis exordio depromere poterant: *Nam simulac species patefacta est verna diei, Et reserata viget genitabilis aura Favoni, Aeriae primum volucres te, Diva, tuumque Significant initum, perculsae corda tua vi cet.* Veruntamen Bentl. quum in *Veneris* vocabulo margini suo adscripsisset „an *Veris*“, praeclara ea Wakefieldio reliquisque visa est conjectura, quare totum locum jam hoc modo constituerunt: *Ii Ver et Venus et, Veris praenuntius, ante Pennatus graditur Zephyrus, vestigia propter Flora quibus cet.* Quae cuncta ab editoribus non satis considerate facta sunt, nec Bentlejus ut opinor de conjectura cogitasset, si scivisset ne *Zephyrus* quidem sinceram esse librorum lectionem. Ante omnia enim hoc concidendum est, Lucretium, quum certum ac definitum in rerum natura ordinem demonstrare vellet, quam maxime veram naturae imaginem exprimere debuisse. Eat igitur Ver et Venus, et Zephyrus, ut decet Veris praenuntium, praegrediatur; quid autem Flora? Num ea Zephyro quoque viam floribus suis praespargit? id quod manifesto in verbis est, pronomine *quibus* non solum ad Ver et Venerem, verum etiam ad Zephyrum spectante. At Zephyrus post hiemis frigora flatu suo arva prius laxare debet, quam flores emittere possint, ut pulchre Vergilius describit Ge. 2, 330. *Parturit almus ager, Zephyriique tepentibus auris Laxant arva sinus; superat tener omnibus humor; Inque novos soles audent se germina tuta Credere.* Quam bene hanc rerum ordinem veteres intellexerint, imprimis ea apparet, quod Floram Zephyri uxorem fecerunt, quam maritum certe praecedere non decebat. Neve quis objiciat, secundum fabulam ab Ovidio Fast. 5, 195. narratam Chlorin nympham, quae deinde dea Flora facta est, Zephyrum insequentem fugere. Illa enim nympha tum demum in deam Floram conversa est, postquam Zephyrus Boreae auxiliante eam subegit et suam uxorem fecit. Cujus apte ac venuste inventae fabulae sententiam sic explico:

florum procreationem ante Zephyri auras fieri non posse; si nihilominus praegredi audeant, facile illos a frigido Borea subigi atque cogi ut Zephyrum exspectent, quo demum comitante et tutante pulcherrimus ille florum suavissimorum nitor exsistit, qui Florae nomine appellatur. Quare intelligitur negligentiae Lucretio reprehensionem ab iis contrahi, qui Floram h. l. Zephyro quoque flores praespargere faciant. Verum ne minima quidem litterarum mutatione opus est, ut ea reprehensio tollatur et omnia pulchra et apta ratione procedant. Sola interpunctio mutanda et verba in hunc modum conjungenda sunt: *It Ver et Venus et Veneris praenuntius ante Pennatus graditur, Zephyri vestigia propter Flora quibus mater praespargens cet.* Non enim dubito, quin unusquisque in pennato Veneris praenuntio Cupidinem statim agnoscat, *illi semper haerentem puerum*, ut ait Horat. Od. 1, 32, 10. is quoque his simplicibus verbis nomine ipso non addito Amorem satis significasse existimans. Ordo rerum naturae jam prorsus accommodatus hic est: It Ver et Venus ejusque praenuntius Cupido, quibus Flora colores suos praespargit, ipsa rursus Zephyri vestigiis adhaerens. Apte autem Cupido ut Veneris praenuntius hic commemoratur, quoniam gaudia Veneris ipsa cupido praecedit.

XIII.

Admodum memorabilis codicum corruptio est, ubi in sexto libro terrae motus praeter alias causas inde etiam nasci posse dicuntur, quod ventosae speluncae, rupes et saxa, lacus et recondita flumina in inferis terrae locis non minus quam in superis exstent. De fluminibus v. 540. in optimis codicibus Lugd. 1. 2. haec leguntur:

Multaque sub tergo terrai flumina tecta
Volvere vi fluctus submersos caputandum est.

Paulum differt *submersis caputandum est* in Bodl. et edd. Ver. Ven. et *submersos ea put.* in Brit. 1.; in aliis codicibus fieri non potuit, quin mutilatus versus variis modis reficeretur. Brit. 3. *submersis hincque put.* ed. Brix. *submersas ita put.* Poor.

et Cant. denique, qui a ceteris prorsus recedunt, *submersaque saxa put.;* quae lectio a plerisque editoribus recepta Lucretio non indigna judicanda esset, nisi illi codd. ad alteram classem pertinerent, quam e librariorum arbitrio saepissime correctam esse constat. Nec difficile est ad perspiciendum, eam correctionem ad similis loci exemplar factam esse, 1, 289. ubi de fluvio: *volvitque sub undis Grandia saxa.* Praeterea Isaaci Vossii conjectura commemoranda est, quae Havercampo valde placuit: *submersos cap'te putandum est* pro *capite,* quae syncope quam dicunt, et Ennii versu Ann. 8, 27. (ed. Lips.) *Cap'tibus nutantes pinus,* et aliquot similibus apud ipsum Lucret. exemplis quodammodo defendi posset, ut 4, 263. *unverum;* 905. *gubernacium;* 6, 1066. *singlariter;* 1087. *coplata.* Verum talia in elegantiores poetas, quibus Lucretium adnumerare non dubito, inferri non debent, nisi ejusmodi correctio alioquin pro certa habenda est. Quid autem ad rem, si fontes hic sive capita illorum fluminum submersa esse docemur? praesertim quum de fluviis constet, qui in superis terrae locis orti deinde in terram submergantur et prorsus evanescant. Verisimilius est corruptum illud *ca* ortum esse ex *caeca,* altera syllaba propter alterius similitudinem omissa, ut jungendum sit: multa flumina sub tergo terrae tecta submersos fluctus caeca volvere, h. e. aut sub tenebris volvere, aut ita ut cerni nequeant. Utrumque enim *caeca* significare potest et utroque modo nova rei notio accedit, quemadmodum flumina ita volvantur. *Caeca* igitur ita additum est, ut si formam spectes ad flumina, sententia vero magis ad verbum pertineat, quod saepissime fit apud poetas, veluti in similis notionis adjectivo apud Verg. A. 2, 135. *Limosoque lacu per noctem obscurus in ulva Delitui.* Tum etiam duo epitheta uni substantivo addita non offensui esse, recte observavit Wagn. ad. Verg. A. 5, 24. ubi ejus generis exempla e Vergilio collegit. Hic nonnulla e Lucretii carmine sequantur. 1, 260. *nova proles -lasciva per herbas Ludit;* 469. *Irrevocabilis abstulerit jam praeterita aetas;* 951. *solidissima materiai Corpora perpetuo*

volitare invicta per aevum; 3, 20. *neque nix acri concreta pruina Cana cadens violat; semper innubilus aether Integer et larga diffuso lumine ridet;* 4, 339. *quom propior caliginis aer Aëra init oculos prior — Insequitur candens confestim lucidus aer;* 551. *Mobilis articulat verborum daedala lingua;* 5, 103. *via qua munita fidei Proxima fert humanum in pectus;* 398. *Avia quom Phaethonta rapax vis solis equorum Aethere raptavit toto;* 462. *Aurea quom primum gemmanteis rore per herbas Matutina rubent radiati lumina solis.* Ipsum denique adjectivum *caecus* eadem ratione legitur 5, 1004.

Improba navigii ratio tum caeca jacebat,

quem versum nonnulli propter formam *navigii* praepostero judicio damnaverunt. Necessarius enim propterea est, quod e v. 998. *nec turbida ponti Aequora laedebant naves ad saxa virosque* non satis apparet, cur hoc non factum sit. Multi de genitivo illo disputaverunt, nec dubitandum est, quin in forma *navigii* vitium lateat, quod tamen frustra emendare conati sunt. *Navigiis* enim, quod Bothius proposuit, falsam sententiam efficeret, quasi poeta dixisset: improbam rationem navigiis nondum inventam fuisse, probam fuisse inventam. Omnino autem conjectura *navigiûm* non admodum probabilis est ideo, quod Lucr. quantum memini, nusquam in nomine neutro contractam pluralis genitivi formam admisit. Tales genitivi apud eum inveniuntur: *Danaûm* 1, 87.; *Grajûm* 2, 601. 5, 406. 6, 755. *Chaldaeûm* 5, 726.; *Molossûm* 5, 1062.; *Siculûm* 6, 643.; *deûm* 1, 49. 69. 2, 168.; *divûm* 1, 1. 159. utrumque saepissime praeterea; *virûm* 1, 96. 719. et saepius; *puerûm* 1, 256.; *numerûm* 5, 1048., ut recte ante Wakef. cum omnibus codd. legebatur; *consanguineûm* 3, 73.; *squamigerûm* 1, 163. 2, 343. 1083.; et ut statim pauca primae declinationis exempla addam, *Aeneadûm* 1, 1. et *agricolûm* 4, 588. Quod unum nominis neutrius exemplum nunc quidem in editionibus legitur, *principiûm* 2, 937. et certe *principiûm* scribendum erat, conjecturae Wakefieldii debetur pro omnium librorum lectione *principio*. Quae conjectura cur falsa sit, quoniam totus locus difficilior est, longum hic est demonstrare, sed alio tempore

demonstrabitur. Itaque quum non sine errandi periculo *navigium* scriberemus, rectius fortasse legetur: *Improba navis ibi ratio tum caeca jacebat.* De tempore enim *ibi* saepius a Lucretio usurpatum est, 3, 214. 4, 668. 669. 1179. 5, 809. 6, 277.; *ibi tum* autem ut gravius *tum sit*, quamquam ipse alio loco non dixit, dixerunt alii, ut Plautus, Terentius, Cicero, quorum locos Handius congessit, Turn. vol. 3, p. 166. Ne tamen semper *ibi tum* nullo interposito vocabulo dictum fuisse credas, ut in illis exemplis appareat, Catulli locus facit, 8, 6. *Ibi illa multa tum jocosa fiebant.* Plane e Lucretii more fuisse eandem notionem pluribus similis significationis vocabulis in eodem enunciato positis adaugere, cum permultis aliis exemplis ostendi potest, tum illo ipso de quo agimus loco. Nam v. 1090. legitur: *Nec temere incassum frustra mare saepe coortum Saevibat,* quae coacervatio jam supra adfuit 2, 1060. et ex parte redit 5, 1429.; et v. 1005. *Tum pecudum delnde ibi languentia leto Membra dabat.* Postremo notandum est orationis conformationem, quae in loco unde hanc digressionem fecimus apparet: *putandum est flumina fluctus volvere,* Lucretio paene legitimam esse, quam eadem inveniatur 2, 193. 700. 3, 311. 686. 688. 933. 4, 678. 923. 5, 303. 642. 751. 6, 246. 262. 666., ut contra duos tantummodo locos sciam, ubi certe vulgarem rationem secutus sit, 2, 617. *indignos esse putandos;* 3, 232. *natura putanda est.* In reliquis locis 2, 39. 809. 1052. 3, 668. 803. 4, 117. 775. 6, 906. rea ideo incerta manet, quoniam *putandum est* nomini generis neutrius jungitur. Praeterea notatu non indignum esse videtur, non solum formas *putandum est, putanda est, putandos,* sed etiam reliquas trium syllabarum, quae in consonam exeunt, *putamus, putamus, putabant, putabis, putarunt, putantur, putetur, putentur* a Lucretio semper in fine hexametri collocatas esse, si 5, 128. excipias, ubi *putetur* in quarto pede locum habet; contra *putare* numquam finem, sed aut secundum aut tertium pedem facere, 3, 802. 5, 160. 1040. 6, 69.

XIV.

Quod saepius jam Lucretius demonstravit, omnes res raro corpore constare ac rerum summam nihil esse nisi corpus cum inani mixtum, in sexto libro ubi magnetis lapidis naturam docet, inde a v. 943. repetit ac pluribus exemplis convincere conatur, ut humoris per saxa stillantis, sudoris e toto corpore manantis, barbae et pilorum per membra crescentium, cibi per omnes corporis partes diditi, frigoris et caloris per aes atque alia metalla transeuntis. Haec facilia sunt; quae vero deinceps sequuntur et eandem naturam, qua facile per res et loca penetrare possint, etiam in odore, igne, morbida vi ac tempestatibus inesse ostendunt, ea vitiis quasi obruta tenentur. Sunt autem illa vitia non tam librariorum, ut statim videbimus, quam interpretum, qui in re haudquaquam obscura tamquam caeci deerraverunt. Versus, ut Wakef. scripsit, hi sunt:

Denique per dissaepta domorum saxea voces
Pervolitant, permanat odos frigusque vaposque
Ignis; qui ferri quoque vim penetrare suëvit
Denique, qua circum colli lorica coercet.
Morbida visque simul, quom extrinsecus insinuatur:
Et tempestatem, terra coeloque coortam,
In coelum terramque remote jure facessunt,
Quandoquidem nihil est, nisi raro corpore nexum.

Quibus nihil ineptius cogitari potest. Ut enim taceam de importuno *denique* et de insolenti dictione *circus colli;* qualis autem ignis vapor est, qui ferrum penetret, qua lorica circum sive circuitum colli coercet? Nam calorem animalem vel sudorem, quem Wakef. significari censet, nemo profecto ignis vaporem appellabit; nec magis Creechio credendum est de sulphure seu aqua fervente cogitanti, quorum ardor militibus urbem expugnantibus loricas penetraverit. At si Lucretius ferrum ignis vapore penetrari exemplo illustrare voluisset, non tam obscure opinor fecisset, sed petiisset a vero igne, quo quodvis ferrum ex-

candescit. Quis vero credat, quamquam satis manifestum est, sequentem versum: *Morbida visque simul quom extrinsecus insinuatur* ab interpretibus ita ad praecedentia relatum esse, ut sententia evadat: morbida vis etiam per loricam penetrat seu loricatum virum tentat? Nec magis laudanda Wakefieldii ad sequentes versus interpretatio: „Philosophi merito remittunt in terram coelumque eam tempestatem, quae de terra coeloque primum est exorta". Nam sane facillimum fuit philosophos citare, ubi ipsi aqua haereret. Verum ea omnia nugas esse et a poeta ita dici non potuisse quis non diu perspexerit? Omnis editorum culpa in eo posita est, quod auctoritatem optimorum librorum deterioribus codicibus aut ipsorum conjecturis posthabuerunt. Nam antiquissimi codd. Lugd. 1. 2. fragm. Vind. Memmianus ac praeterea aliquot alii non *colli* habent, sed *coeli;* iidem libri *tempestatem* quidem (Lugd. 1. *tempestate in*), sed statim post *coorta;* denique non *terramque* sed *terrasque.* Quae fere omnia rectissime se habent, modo post *suëvit* punctum ponatur et reliqua levissima correctione ita restituantur:

Denique, qua circum coeli lorica coercet,
Morbida visque simul, quom extrinsecus insinuatur,
Et tempestatum terra coeloque coorta
In coelum terrasque remote jure facessunt cet.

Primum igitur jungendum est: *permanat odos frigusque vaposque ignis, qui ferri quoque vim penetrare suevit.* Deinde *lorica coeli* idem significat, quod *coeli amictus* 6, 1133. ut iam Salmasius Epist. 52. vidit, sive *coeli clypeus* apud Ennium a Varrone L. L. p. 8. et 94. (Bip.) laudatum, sive σιδήρεος aut χάλκεος οὐρανός apud Graecos. Sententia autem loci haec est: Denique et morbida vis, quum extrinsecus insinuatur, et vis tempestatum, e terra et coelo coorta, jure remote in coelum terrasque feruntur, qua circum ambit sive coercet coeli lorica (cf. 5, 201. *quantum coeli tegit impetus ingens*). Verba *quom extrinsecus insinuatur* propterea addi debebant, quod non omnis morbida vis per coelum terrasque fertur, et locis extrinsecus insinua-

tur, ut paulo infra accuratius edocemur, v. 1007. *Atque ea vis omnis morborum pestilitasque Aut extrinsecus, ut nubes nebulaeque superne Per coelum veniunt, aut ipsa saepe coorta De terra surgunt, ubi putorem humida nacta est Intempestivis pluviisque et solibus icta;* quibus conferatur v. 1118. 1140. In voce *denique* tam parvo intervallo repetita nulla [illegible]sio est, quum saepius idem observare liceat, 1, 465. 472. 3, 777. 785. 5, 26. 35. et 307. 312. 319.

Addendum.

Dum haec prelis subjiciuntur, in lucem prodiit illa cujus in exordio hujus libelli mentio facta est dissertatio mea inserta Diurnis Antiquariis mens. Sept. No. 99—101. Praeterea errata quaedam sic corrigi velim: Pag. 7, versu 6: vulgo *huc* referuntur. Pag. 13, versu 11: *particulae.* Pag. 14, versu 16: *risu.* Pag. 18, versu 5: meant, *eademque.* Pag. 21, versu 16: siquidem *versus;* et mox: qui *in Lugd.* 2. *deest,* in Lugd. 1. Pag. 22, versu 17: *quid* judicandum.

Typis Sturmi et Koppei.

LI 20.367.9
Quaestiones Lucretianae ...
Widener Library
006602323
3 2044 085 210 607